

ANTONII GVILIELMI PLAZII
PHIL. ET MED. D. BOTAN. P. P. O. FACVLT. MED. ASSESS. ACAD. CAES. LEOP. NATVR. CVR. SOCII

DE IVCVNDIS MORBORVM CAVSIS

DISSERTATIONES SEPTEM

SEORSIM ANTEHAC IN ACADEMIA LIPSIENSI EDITAE

CONIVNCTIM NVNC RECVSAE.



LIPSIAE
Sumtibus, HAEREDVM LANKISIANORVM,
CIϽIϽCCLIV.



AVREL. PRVDENTIVS in Hamartig. 395.

Felix, qui indultis potuit mediocriter vti
Muneribus, parcumque modum seruare fruendi.



L. B.



Diuerſos diuerſa iuuant. Sunt, qui profundiorum ſtudiorum capiuntur amore, atque dum ſpeculationum, ſatis ſaepe ſterilium, immerſi ſunt difficultatibus magis, quam amoenitatibus, ſibi tantum magis placere, quam aliis vtiles eſſe cupiunt, in eo voluptatem quaerentes haud mediocrem, vt ignoti fere omnibus viuentes, atque ſua aliis moro-

ſius inuidentes, aliquid eſſe videantur, atque parturientis montis ad inſtar, omnes, prouentuum inauditorum grauitatem ſummo cum deſiderio expectantes, in ſui rapiant admirationem. Mirum profecto genus hominum! qui lucem fugientes, aut ſibi, ſuaeque ſcientiae parum fidunt, aut turpi ſua tenacia tanto longius ab humanitate alieni ſunt, quanto minus officiorum, quae ſibi aliisque debent, memores, ſe quidquam ſcire, alios ſcire nolunt. Ludicra alii agunt, atque ingenio ſuo nimium indulgentes, ridiculis magis nouitatibus atque inuentis inclareſcere cupientes, minus exercitatis nimiumque incautis mentibus, miris imponunt artibus, prudentius acturi, ſi quidem infelicioribus iſtis

foeti-

foetibus in partu suffocatis, iudicii sui mendas proprio vulgare praeconio desisterent. Quamuis enim omnibus placere, arduum sit pariter, ac in tanta ingeniorum diuersitate, vix vnquam sperandum; ita tamen in rebus agendis prudentiorem versari decet quemuis, vt omnis opprobrii ac suspicionis culpam effugiens, si non omnium, eorum tamen mereatur assensum, qui, dum emunctioris nasi sunt, vana ab vtilibus, iusta discernere sententia valent. Detestatus sum inde a prima, qua animum medicae scientiae dare constitueram iuuentute, peruersa irritaque eorum prorsus consilia, qui fastuosius magis de se sentientes, quam ingenuo in alios amore ducti, abstrusa, vana, atque, vt verbo antiquo vtar, muscas

 sectari,

ſectari, atque epiphyllidibus delectari cupiunt, quae vero ad artis ſalutaris vtilitatem extollendam, maxime vero hominum ſalutem promouendam facere poterant, ſuperhabenda eſſe, factis ſcriptisque edocent. Horum preſſiſſe veſtigia, turpe reputans, id potius agendum mihi, quotiescunque ferebat opportunitas, cenſui, vt officii, quod medico incumbit, nunquam immemor, a pluribus non ſine omni fructu, atque ſine taedio legerentur, quaecunque per vices, munere praeprimis academico exigente, edenda erant. Teſtes produco ſcriptiunculas has, non tam meo conſilio, quam amicorum ſuaſu, recuſas, aliquantum emendatas, parum tamen immutatas, quas quidem eo tantum olim propoſitas

positas fateor animo, non vt nouitate quadam, leuem affectarem gloriolam, sed vt, si quidem hoc obtinere potuissem, inveteratos, minusque probandos nonnullorum mores, non sine ratione corrigendo, aliquam saltem apud aequos arbitros gratiam mererer. Hac sola spe fretus, quandoquidem qualescunque has opellas beneuole intellexerim exceptas, ad alia, haud forte prorsus iniucunda, hisce parum absimilia argumenta pertractanda, meum excitatum fore studium, laetus profitebor. Vti nempe de salute humana, omnibus modis, atque reiteratis consiliis, ingenuis monitis, imo et seuerioribus quandoque animaduersionibus conseruanda restituendaue, sollicitum praeprimis esse decet

medi-

medicum; ita et vix vnquam eundem nimium hic esse posse ratus, tanto maius ad rempublicam redundaturum arbitror commodum, si quidem in eo omnes saepius allaborent, vt sanam in corpore sano mentem, sibi, ciuibusque conseruandam studeant.

Dabam Lipsiae
Calend. Decembr.
CIƆIƆCCLIII.




DIS-





DISSERTATIO
DE
TABACO STERNVTATORIO,
D. XIX. DECEMBR. MDCCXXVII. HABITA.



§. I.

Quemadmodum tritum illud: *trahit ſua quemque voluptas*, antiquiſſimae eſt originis, vſusque in genere mortalium pridem inueterati; ita neceſſe haud eſſe exiſtimo, vt de eius certitudine operoſius eruenda, variisque argumentis demonſtranda, magnopere ſim ſollicitus, experientia illud quotidianis exemplis, de hominum aſſidua nimis opera, aut circa varia inuenta, aut res quascunque demum, quibus tum ſibi oblectamentum parare, tum aliis placere poſſe putant, teſtantibus, abunde probante. Videmus ſic, alium alio ciborum genere ſubinde delectari, a quo alter abhorret, alium veſtimentis Gallorum, Vngarorum, Anglorum, Polonorum, fere dixerim extremorum Indorum lubentius indui, alium, ſimplicitatis amantiorem, habitu in ſua patria recepto, contentum viuere. Vt varia, quae hic recenſere tum proli- *Argumentum tractationis.*

A xum

xum foret, tum instituti ratio minime poscit, silentio praeteream, vnicam saltem producturus sum plantam, cuius adeo varius propemodum vsus haud ita multis abhinc annis innotuit, in quo tamen fusius enumerando, diem profecto mihi defuturum, haud forte temere suspicor. Hanc, ab inuentore suo, *Nicotianam*, a natali vero solo, *Tabacum* appellari solere, neminem quin sciat, futurum arbitror. Multiplicem, eadem vtendi modum, dum nempe vel minutim incisa, et tubo fictili infarcta, accensaque, palatum oblectat, vel in puluerem redacta subtilissimum, nares titillat, vel in foro medico multifariam adhibetur, impraesentiarum enarrare non est animus; de quadam eius specie hic saltem agere libet, quam a virtute, sternutationem excitandi, dum per nares attrahitur, sternutatoriam, (Schnupf-Taback) nuncupare solemus, et cuius vsus hodie vbique fere adeo inualuit, vt quilibet, vel infimi subsellii homo, haud vulgarem in eadem quaerat delectationem, de damno caeteroquin, ex eius abusu oriundo, minime sollicitus. Quibus praemissis, iam, ne nimium extra oleas ferar, quantum ingenii iuuenilis vires permittent, paucula ad rem ipsam facientia, breuibus exponere, in animum induxi meum.

Origo Tabaci. §. II. Ad incunabula itaque herbae huius, aliis adeo deamatae, aliis e contra nimium exosae, (non, quod magnopere necesse esse existimem, sed, ne quid temere omisisse, a quopiam argui posse videar,) reuerti, eiusque locum natalem, inventoremque, tribus commemorare lubet verbis. De inuentore quidem ex denominatione Nicotianae suspicari possemus, nisi COHAVSENIVS in Tractatu suo, cui *Pica Nasi* titulus est, P. I. §. 2. primam eiusdem inuentionem *Christophoro Columbo* tribueret, eo non quidem, vti coniicere licet, animo, ipsum huius nouitatis ergo, quo veterem beauit orbem, laudibus extollendi, sed meritis potius eius, quibus in detegenda noua terrae parte inclaruit, iusta indignatione detrahendi, Columbum affirmans, nouas terras remotissimo sub sole quaeritantem, in alium orbem, columbae Noaeae instar euolasse, et

loco

loco rami oleagini, exotica Tabaci folia secum attulisse. Quicquid vero autores de inuentore herbae sanctae disceptent, quorum iam lites componere velle, alienum ab instituto foret, id certum est, patriam ipsius haberi insulam *Tabago*, in America, ex numero *Caribium* vnam, cui et ipsam nomen debere suum, facile apparet. Quod ad primum huius herbae attinet vsum, si, quid videatur, dicere licet, dubio procul, eundem a veteribus noui orbis incolis, familiari mortalibus imitandi studio, ad inuentorem eiusque comites transiisse, verosimile est. Europaeis enim, hesternis modo aduenis, protinus ac primo omnium innotuisse, et non potius a priscis insulae colonis ad hospites migrasse, nescio an non temere nimis suspicer. Inficias caeterum ire nolim, otium et voluptatem aeque, ac cupiditatem, noua quaelibet sectandi, nautarum vulgus, quod naue ignotam adhuc transuehebat herbam, eo adegisse, vt Nicotianam degustando, laborem suum, ad transtra sedere coacti, si non emollire, certe fallere posse, sibi persuaderent; alii autem, quibus ob lautiorem paulo sortem, nihil cum labore nautico erat commercii, ne nihil agerent, planeue otiosi sederent, inter accensos tabaci fumos, longi temporis taedium facilius transigerent, nugarumque et confabulationum suarum fumos suauius venderent. Mox aut ipsi egregium hoc, congerrones hospitaliter excipiendi, tempusque felicius cum ipsis terendi remedium, aliis commendauere, aut istae deliciae sua sponte ad videntes, vt ad noua quaelibet sectanda omnes proni sumus, tum infimae, tum sublimioris sortis dimanarunt, vnde factum, vt paulatim per totum terrarum orbem Nicotiana inclaruerit, eque mapalibus sordidissimis, in ipsa principum palatia irrepserit, et prius in vtilem, mox in superuacuum, tandem vero, quis crederet fieri potuisse? in voluptuarium abierit vsum.

Eius, in vsum sternutatorium ingeniosa commutatio.

§. III. Perueniebat itaque saepius commemorata herba ad varias nationes, atque in iis, ad omnis dignitatis eruditionisque homines; qui, ne frustra hisce fumosis suis deliciis tam indefessam nauare viderentur operam, laudem iis tribuebant

non vnam, quod ſcilicet, ſi Diis placet! caput debilitando, linguam erodendo, humores abſumendo, odoremque tantum non Ambroſiae aemulum diffundendo, vires exerceret inſignes. Cum vero iſto quotidiano et vulgari vſu, quae omnium gentium eſt, nouis inuentis inclareſcendi, et vetera interpolandi cupiditas, non ſatis haberent curioſi Nicotianae patroni, de inveniendo quoque alio, praeter fumigationem, vſu, cogitabant, nec infeliciter rem ceſſiſſe, laeti poſthac intelligebant. Ita enim fauebat iis ingenium, vt, ne os prae reliquis corporis partibus his deliciis ſolum gauderet, de ipſo in puluerem ſubtiliſſimum redigendo incideret, qui naribus exceptus, pabulum ipſis ſubminiſtraret, quouis thymo caſiaque potius. Nec ſufficiebat, impalpabilem praeparaſſe puluerem, tum acredine ſua, tum molecularum ſubtiliorum textura, ſatis nociuum, ſed addenda quoque alia erant acria, quae vim tabaci corroſiuam augerent, quo ſenſibus manifeſte magis percipi poſſet, neruique, vi ſpirituoſorum atque volatilium, quae in praeparatione pulveris ſternutatorii adhiberi ſolent, eo citius aliquando, ad munus ſuum debite perficiendum, inepti redderentur. Cumque omnis varietas delectet, vna ſpecies, quae voluptati humani generis faceret ſatis, non ſufficiebat, plures potius, diuerſo modo elaborati, diuerſisque nominibus inſigniti prodibant pulveres, ſeque iis offerebant, qui odoratui ſuo funera facturi, cumulos et tumulos Nicotianae coaceruare geſtiebant. Vt enim innumeras praeteream tabaci varietates, quibus ſub fumi forma vti nunc ſolent capnophili; vix certe regionem fore cenſeo, quae non alium atque alium poſſideat puluerem, tum ratione praeparationis, tum coloris, tum odoris diſcrepantem; imo ne modum quidem eo vtendi ſeruari eundem, certum eſt, ſed vel puluerem ipſum pixidi incluſum haberi, ad vſum iamtum praeparatum, vel ſub ſtiriarum forma ſecum geſtari, et ope radulae paruulae ad vſum aptari, id quod in *Braſilienſi* ſpecie, et, quae omnium peſſima eſt, *Rappé* dicta, obſeruare eſt, vel formam neſcio quam, vt ingenioſa eſt in vanitatem mortalitas, ei indui, vix quemquam latere poſſe, arbitror.

§. IV.

§. IV. Neque vero opinari conuenit, quam iam commemoraui herbam, hunc saltem in finem tanto labore, tanta cum diligentia, tamque diuersis praeparari solere modis, vt iis tantum videatur concessa, qui de plebe originem traxere suam, nec adeo emunctae naris esse deprehenduntur; sed et illustribus natalibus aeque, ac factis praestantioribus clari viri, aliique, non imae conditionis, nullo fere habito sexus discrimine homines, eandem suspicere, et vel fumando gustare, vel eandem naribus prensare, voluptati ducunt, nescientes, pixidem, ex qua clandestinum hoc capiunt venenum, Pandoream esse, ex qua omne malum et sanitatis detrimentum, in nares, non tam inuitis et inopinantibus inuolat, quam potius lubentissime, nec sine magnis deliciis intruditur. Nec concatenati labores, quibus incumbere necessum habent, cohibere possunt eiusmodi tabacophilos, quin, seposito vel calamo, vel quicquid rerum agendarum in manu est, plenis pugillis in myrothecium irruant adeo deamatum, vtramque narem puluere hoc adimpleant, leuamen sibi aliquod laborum addere studentes, licet infelici adeo ac praepostero successu, vt, dum sanitati consulere sperant suae, lethalem ipsi stragem inferant, eo quidem periculosiorem, quo magis lento tacitoque irrepere solet gradu. Tantam sibi cladem ac pestem ex isto veneno imminere, si quidem attento perpenderent animo, sumtibus credo parcerent, quos nonnunquam emendis pixidibus tabacariis, (sit venia verbo barbaro) impendunt haud paruos, etiam qui ad remum saepe sedent, et mucido pane aut vappa famem solantur, nec scilicet, aut suo sibi argento perniciem emerent, aut fatale sibi lethum, aurea vagina tam sollicite asseruandum curarent. *Eiusdem vsus, tum omnis conditionis hominibus familiaris.*

§. V. Quemadmodum vero ea imprimis feminei sexus est indoles, vt, quolibet nouo, tum vndecunque, tum maxime ab exteris allato, vtendi, ad se quoque merito pertinere existimet licentiam, siue decorum, moribusque ipsius satis dignum sit, siue minus, parum pensi habens; ita quoque eiusdem, affectus compescendi suos, debilitas et impotentia, atque *Tum femellis.*

ad aliorum ingenia, vitia etiam haud raro imitanda pronitas, in ſumendo vindicandoque ſibi, pulueris ſternutatorii vſu, haud obſcuris ſeſe prodit indiciis. Videbatur enim eius vſus in viris quidem ferri poſſe, quos quaſi antiquo quodam iure, quaedam formae cultusque decet negligentia, quorumque gulam, aeque ac nares nonnunquam immitius haberi, virile, adeoque in laude ponitur; ſed hoc deliciarum genus, feminas etiam, delicatulas alioquin ſatis ac molles, viris adeo inuidiſſe, vt et ipſae ad earum communem cum iis vſum adſpirarent, eſſet cur magis mirarer, niſi mihi Maronianum illud ſuccurreret: nullam fere nouitatem eſſe, qua non et femina ſeſe induat. Cum enim noſtra aetate eo res redierit, vt ſexus ille, munditiei caeteroquin, vel ad vitium interdum vsque ſtudioſiſſimus, inter ornamenta quaſi aliqua referat, tubo, Nicotiana impleto, virorum more vti, eiusdemque fumo delectari, minus erit profecto mirum, ſi videas matres aeque, innuptasque puellas, pixidem pretioſam, tabaci puluere refertam ſecum geſtare, eumque naribus ſubinde aſpergendo, formoſae faciei, qua tum ſibi, tum aliis placere aut ſolent, aut certe cupiunt, tetram formam addere, et os eodem copioſius inungendo, barbas virorum, quas natura ipſis denegauit, aemulari. Qui mos, ex quo obtinuit, ipſas capſulas ſuas nouo quodam ritu aliis addunt ornamentis, quibus conclauibus ſuis ſplendorem conciliare ſolent, dum tabulatis ſuis, *Toilettes* dictis, imponunt, quanto in pretio contentam ibi habeant panaceam, haud obſcure docent. Atque, vti iſta quidem leuitas, a Germanorum grauitate longiſſime abeſſe videtur, ita certe in noſtra patria nata non eſt, ſed, ex quo in Galliam et Angliam, aliasque regiones, incertum vnde gentium, fuit introducta, ad nos quoque peruenit, adeo hoſpitaliter excepta, vt nunc videas femellas, vel inter ipſius luſus negotia, tabaco operam nauare, cui ita aſſuetas eſſe conſtat, vt ſemper digitis, non ſine indignatione ac taedio ſodalium, licet forte pauciſſimarum, in pixide ſit negotium. Cumque ad matrum exemplum, filiarum quoque componantur mores, mirum non eſt, ſi infantes tenelli,

bien-

biennium vix egreſſi conſpiciantur, qui mature ſatis ſanitati ſuae inſidias ſtruentes, rationis et ſenſuum organa, quae ob aetatis teneritudinem adhuc parum firma ſolidaque habent, plane debilitant, inque conſuetudinis huius peſtem, nullo conatu poſthac tollendam, nulla furca expellendam, etiam inuiti incidunt. Et quicquid medicorum contradicat induſtria, quicquid dehortetur, quicquid damni, ex hac peſſima conſuetudine oriundi praeſagiant, ſurdis tamen narratam fabulam dolent, ad reſponſionem paratiſſimis, atque eodem ſe iure, puluerem hunc prenſandi gaudere, quo medicos, obiicientibus.

§. VI. At, in *Medicos* dum incido, fateri omnino erubeſco, quorundam eorum, fere dicerem culpa, nec admodum laudabili exemplo fieri, vt nullum fere remedium, miſeros mortales ab infauſto huius pharmaci abuſu reuocandi ſuperſit, nec ſatis firma nunc ſuppetant argumenta, quibus ab huius, ceteroquin vtilis herbae, nimio abſtrahi poſſint vſu. Cum enim, ſi non omnes, certe medicorum tamen magna ſit pars, qui ſibi heic plus aequo indulgent, aliisque quod vitio vertunt, in eo ipſi peccant; ideo fit, vt, cum ſalutariter ſuadeant, ſaepe non audiantur, quia, vti eſt in prouerbio, ſe ipſos curare negligunt, nec exemplum imitationis, ab hac noxia re abſtinendo, aliis praebere conantur. Quod, vt facerent, tanto magis decebat ipſos, quo debiliora ſunt, fundamento nempe parum firmo innixa, atque medico minus digna, quae proferre ſolent, ad palliandum iſtud ſuum cacoethes, argumenta. Egregium enim tabaci vſum, eo imprimis nomine ad ſidera vsque tollendum cenſent, quia inſignem praeſtet in praecauendis malis opem, quae ſibi metuant a myasmatibus exſpirationibusque nociuis aegrorum, quas interdum in conclauibus eorum multo deprehendi agmine aſſerunt, qui febribus malignis, putridis praeprimis, aliisque morbis infectiuis laborant, a quorum vix tutos ſe fore contagio, haud ſine ratione ſuſpicandum eſſe judicant, niſi nares obſtruendo, impedirent, quo minus transgreſſus ad pulmones fieri poſſit particularum vel putridarum, vel aliarum qua-

Nec non ipſis Medicis.

quarumcunque impuriorum, quae indesinenter ex aegrorum prodire soleant corporibus. Verum enim vero, nec euictum est adhuc, tantam tabaci esse virtutem, quae istis exhalationibus, ex voto depellendis sufficere possit, aut, si esse, largiar, certe solummodo ad tabacum ideo refugiendum haud erat, cum ob allegandas infra causas, adeo variis noxis producendis sit idoneum, vt ad tutiora potius, qualia haud omnino deficiunt remedia, refugiendum esse, haud obscure coniici possit. Qui enim fit, vt alii medici, non minus certe artis suae periti, similisque notae aegris inseruientes, ab infectione sint immunes, cum Nicotianae et fumum et puluerem cane peius et angue fugiant? certe, si insignem adeo, atque vel hanc solam tabaci esse virtutem, argumentis et exemplis satis praegnantibus constaret, dignum profecto omnium applausu, neminem non iudicaturum considerem; quod cum nonsolum factum non sit, sed et experientia contrarium doceat, eiusque vires humano corpori maxime potius deprehendantur nociuae, merito a medico prudentiore eius vsum, tum suae salutis causa, tum ob exempli periculum, sedulo vitandum esse, multis vt euincam rationibus, haud quidem opus fore credo.

Eius particulae constitutiuae.

§. VII. Necessum tamen est, vt ante, quam de viribus herbae nostrae, causisque, cur non raro noxia sit, verba faciam, eiusdem particulas constitutiuas breuibus excutiam. Easdem ergo si examini subiiciamus, primo omnium sulphureas deprehendimus moleculas, quae Nicotianae odorem conciliant suum, vt naribus excepta, sensum olfactus afficiat; nec tamen solummodo odor ei inhaerens, praesentiam sulphuris comprobat, sed et pronitas ad flammam concipiendam, id quod in foliis eiusdem exsiccatis, tubulo fictili inditis, fumumque spargentibus videre est; nec non particulae pingues et oleosae, quae nonsolum, si recentiora tangas folia, manifeste satis sese produnt, sed et ignis chymici ope, quamquam non sine nauseoso foetore eliciuntur. Iam vero salis in Nicotiana existentiam vt operosius demonstrem, ideo non opus esse videtur, cum vel

ipso

ipſo ſapore detegi poſſit. Quod, ſi cui ad fidem faciendam non ſuffecerit, effectus ipſe teſtabitur, herbam noſtram interne pariter ac externe, aut ſub forma fumi, aut olei, aut in ſubſtantia adhibitam, vi molecularum ſalino-acrium, volatilium imprimis, ventriculum adeo ſtimulare, vt vomitu excitato, contenta ſua non ſine moleſtia reddat. De terrae praeſentia, tanto minus dubitabitur, cum nempe nil niſi materiam terream referat, et, ſi ex incinerata prius eadem, atque aquae commixta, ſal eluatur, lixiuio decantato, puluis inſipidus, nil niſi terram deſignans, remaneat.

§. VIII. Quibus praemiſſis, vellem nunc adeſſent aequo animo, qui tabacum panaceae inſtar proſequuntur, ſententiamque ex iis, quae dicentur, probe penſitatis, ſibi ipſis ferrent ſuam. Dabo enim operam, vt intelligant damnum inſigne et luculentum, immodico pulueris tabacini conciliari poſſe vſu, cui corrigendo et auertendo, nullum fere tempus, nulla medicamentorum vis, nulla medici ſolertia ſufficere queat; quam beneuolentiam a lectoribus me eo facilius impetraturum ſpero, quo magis, quod dicam, vtilitate ſua, et aſſenſus dignitate commendatum fore, confido. Sequar enim viros medicos, autoritate ac fide magnos, e quorum ſcriptis, maxime nociuum, imo lethalem effectum deliciarum iſtarum, quibus noſtri ſeculi genius ſe immerſit, proponere in animum induxi, omnium ſimul puluerum ſternutatoriorum reliquorum triſtem euentum, ſub vno iſto titulo Nicotiani complexurus. Et primo quidem loco prodeat ruſticus ille, quem narrat KERCKRINGIVS *Spicileg. Anat. Obſeru.* 51. p. 110. vſu pulueris ſternutatorii, non frequenter quidem, ſed ſaltem ſemel adhibiti, adeo validam ſibi conciliaſſe ſternutationem, vt ingenti ſanguinis copia, ob vaſa cerebri lacerata, per naſum eiecta, exanimis fere conciderit. Parum ergo aut nihil abfuit, quin miſer iſte homo, ſiue ſuo, ſive aliorum conſilio ingenioque peccauerit, in culpam autochiriae inciderit, qui ſanitatis, imo vitae ſuae, vt mitiſſime dicam, ſe ipſum praeſtitit veſpillonem. Alienum hoc periculum eſt,

Tranſitio ad tractationem de noxis, ex ea oriundis.

at felix, quem illud cautum fecerit; caeterum, amore ſui, quem ipſa natura praecipit, niſi fallor polleant oportet admodum mediocri, qui, quod ipſi ſibi imminens damnum mente praeuidere atque augurari poſſent, ne exemplis quidem quotidianis, illo, quod iam expoſui, haud laetioribus, edocti, euitare conantur, neque a peſſimo hoc inſtituto deſiſtunt, ſed pertinaciſſime potius eidem inhaerere, minus prudenti conſilio decernunt.

Excuſationes, quibus tabacophili vtuntur.

§. IX. Et ſunt tamen, qui, ſiue quia nimia ſibi indulgendi licentia laborant, ſiue, ne ſincerioribus cohortationibus locum dediſſe videantur, adeo de exitioſis effectibus tabaci conuinci aut nolunt, aut nequeunt, vt potius manibus pedibusque, quod aiunt, eiusdem vires eximias tueantur ac depraedicent, nec vereantur, id, quod caſui fortaſſis cuidam, vel alii medicamento adſcribendum erat, tabaco vindicare, aut, quod vni alteriue leuiuſculo malo ſalutare fuit, in omnibus etiam maioribus ſperare. Videamus enim, qui lippitudine oculorum, ozaena, aliisque catarrhis, quibus humores, abundantia et acrimonia nimia peccantes, fomitem praebent, laborauere, ſi aliquo pulveris huius vſu, ſibi ex voto conualuiſſe videntur, quanto cum ardore eum venerentur, tanquam non mali modo illius medicum, ſed et omnium morborum tum praeſeruationem, tum vniuerſale remedium. Imo, ad ipſas animae rationalis vires, ne quid ad conciliandam ei dignitatem deſideretur, vel conſeruandas, vel augendas, illum pertinere contendunt, vtpote cui virtutem quandam, rationem ingeniumque acuendi, ineſſe credunt. Nempe eodem ad cerebrum, animae fortaſſe ſedem ac domicilium, a ſordibus repurgandum vtuntur, ſordibus implentes potius ac onerantes, quam liberantes. Et mirum, ni idem de tabaco ſerio praedicent, quod ille in GERHARDI *Theatro Italo* de ſe facete inquit: *Je ſuis la quinteſſence des Academiciens, des Peripateticiens, des Stoiciens, des Pyrrhoniens, des Platoniciens, des Eclectiques. J'ay une tabatiere, qui eſt pleine de l'eſprit de tous les grands Philoſophes, mis en poudre, comme de Thales, d'Anaximandre, d'Hipocrates, d'Anaxagore, de*

Tele-

Telesius, d'Archelaus, de Carneades, de Lucrece. Quis haec legens, grandiloqui nugatoris iocos non ſuauiter rideat? at vero, quis non vltro etiam intelligat, haec ſerio in eos dici, qui ſuae perſuaſioni, in rebus aut tenuibus, aut etiam noxiis, ita confidunt, vt ab ea nullo dimoueri queant modo, ſed ſeſquipedalibus verbis eas potius celebrent, aliisque, quotiescunque ferat occaſio, commendent. Quorſum, iurene, an iniuria referendi ſint tabaci adoratores, penes alios eſto iudicium, imo, ſi probi et ingenui ſint, etiam penes ipſos. Certe, quantum iſti ſuo tribuant delicio, adeo celare nequeunt, vt potius clare ſatis omnibus commonſtrent, dum languore quaſi et anxietate aliqua corripiuntur, ſi quidem ab iſta ſua prenſandi conſuetudine, vel horulam, ſiue, quod quocunque caſu medicina ſua carent, ſiue, quia loci temporisque ratio peſſulum obtrudit, deſiſtere coguntur; imo, ne noctu quidem abſtinere queunt, neque facere poſſunt, quin expergefacti, molle ſtratum relinquant, atque ad ſolatium ſuum aduolent, ſuauius ſcilicet, quod ſupereſt noctis, ſomno nunc exacturi. Lepidum vero genus hominum, qui noctes ſibi, pro placidis, inſomnes excitant, vitaeque, quam producere cupiebant, derogant, helleboro melius vſuri!

§. X. Age, praeter illud ingens malum, quod ſternutando ſibi commemoratus ſupra ruricola accerſiuerat, alios quosdam ſiniſtros percurram effectus, ex pulueris tabacini abuſu prodituros. Pertinet huc vermium in cerebro generatio, quorum ſeminium in dicto deliteſcat oportet puluere, quod, an ad ipſam eiusdem naturam, ad producendam tantam perniciem aptam, referendum ſit, an vero ouula vermium ſubtiliſſima, vel dum adhuc ſub dio in agris germinabat, vel quocunque tempore locoue alio, a noxiis inſectis impacta ſimul, eodem puluillo contineantur, de manu in manum, de officina alia in aliam transferantur, et poſthac in cerebrum attrahantur, iam euincere non annitar; neque enim alterutrum a probabilitate magnopere alienum eſt, neque etiam ad praeſens negotium multum facere videtur iſta controuerſia; id tamen omni dubitatione cer- *Productio vermium ex tabaci vſu.*

 tius

tius esse puto, cerebrum, aut neruorum certe propagines et membranas, acredine tabaci erosas, puluere diutius ibidem detento, vna cum humoribus, a corruptione parum esse liberas, indeque facile vermiformibus productis, locum natalem hic parari posse constantiorem. Vermium enim, in cerebro quoque generationem dari, praeter *Bartholinum*, *Hildanum*, aliosque probatae autoritatis viros, affirmat TVLPIVS, puellam recensens, exquisitissimis capitis doloribus vexatam, qui post extractionem vermis, medii digiti longitudinem aequantis, desierint. *Obseru. Medic.* L. IV. cap. 12. Rem enarrat haud multo absimilem KERCKRINGIVS *Spicil. Anat. Obseru. 43.* de femina quadam, quae ex naribus, post longas pectoris angustias, vehementem tussim, cephalalgiamque non ferendam, vermem emunxerit, qui posthac pepererit, manifesto indicio, seminia verminosa etiam ad cerebrum per nares perferri, siue id solo aëris haustu, siue mediante aliqua per nares attracta materia arte facta fiat; cui calamitati accommodatissimum esse, paratum ex tabaco puluerem sternutatorium, haud forte temere existimo. Quod, cum ita esse, Medicorum asserant Obseruationes, quis haec exempla audiens, ita suo sit indulgens genio, tamque vulgari, aut nimium prauae obsequiosus consuetudini, vt tam periculoso huius pulueris vsu, materiam cerebro ingerat, ex qua id, vermibus generandis iamtum aptum, corruptionem quandam contrahere queat, vnde horrendi dolores, memoriae infelicitas, phrenesis, vertiginosi affectus, incommoda sexcenta alia, imo mors ipsa sequi, ratione sana aeque, ac experientia luculenter docente, poterat.

Odoris organa afficit.

§. XI. Offert se alia, haud forte paulo minor, atque ideo sicco pede neutiquam praetereunda infelicitatis species, ad tabaci vsum infaustos suos natales referens, quae odoratus sensum aut grauiter affligit, aut penitus extinguit; Id certe extra dubium, etiam apud ipsos tabaci veneratores positum esse, inter omnes propemodum constat, et recordabuntur fortassis ex iisdem audiuisse, quibus aliqua cum id genus hominibus interce-

dit

dit familiaritas, quod magna odoratui, huius pulueris vſu, inferatur iniuria, imo tandem ſenſus huius facultas aut impenſe debilitetur, aut plane deſtruatur. Quod fieri, tanto minus mirum eſt, quo luculentior reddi poteſt ratio anatomica, cuius veſtigia in SIMONIS PAVLI Tractatu *de abuſu Herbae Tabaci et Thée*, p. 704. leguntur. Sagaciſſimus iſte vir, cum, grauiſſimis commotus argumentis, proceſſibus mammillaribus nimium exſiccatis, vim odoratum abolendi tribuat, opportunitatem ſimul nobis ſuggerit, coniiciendi, imo confidentius affirmandi, quod et ipſe adiicere poterat, neruos olfactorios primi paris, per os ethmoideum tranſeuntes, dum pulueris tabacini vſu maxime afficiantur, non ſolum ſimul cum mammillaribus proceſſibus exſiccari, ſed et tandem adeo erodi, vt dein ipſa tabaci ſubſtantia ad cerebrum propiore deferatur itinere. Quo facto, quid, niſi facultatis odorandi plenaria proſtratio, imo, vt nihil plane celem, mors ipſa ab iisdem metuenda erit, qui quaſi eam ipſam ob cauſam ſumma vi naribus obtrudunt nouam aliquam, mortis paulatim conſciſcendae materiam, vt ab odoratus iactura ad cerebri putredinem eroſionemque paulatim adſcendentes, immaturam mortem, quam de induſtria quaeſiuerant, obtineant, quam, ſi ſaperent, maximopere fugiendam intelligerent. Et ſane, ſi quidem ſalutaribus conſiliis obſequioſis eſſe luberet, exemplo prudentiorum, qui, cum etiam ſolo odore florum indigenorum et exoticorum, *liliorum*, *violarum*, *roſarum*, *aurantiorum*, *tuberoſae*, multos nonſolum lypothymiis affectos, ſed et odore plane priuatos fuiſſe, perpenderent, illorum vſu diligentiſſime cautiſſimeque abſtinuere, hancque profecto infenſiſſimam odoris peſtem ipſos ſedulo eſſe euitaturos, non dubito. De liliis etc. autem quae commemoraui, me non citra rationem atque autoritatem dixiſſe, exemplis COHAVSENIVS corroborat, quae Tractatu *de Pica Naſi P. II. §. 1. pag. 74.* collegit.

§. XII. Iam, vti odoratus facultati vis infertur, ita viſus organa haud magis tuta fore, credibile eſt. Sed ad ea nunc liceat *Viſum hebetat.*

ceat procedere, et, quam non pauca hic proſtent luctuoſa hominum exempla, qui intempeſtiuo et immodico tabaci vſu, damnum irreparabile, viſus nempe abolitionem, vel certe hebetudinem ſibi contraxere, in medium adducto ſaltem vno vel altero, declarare. Et narrat quidem FABRICIVS HILDANVS *Centur. I. Obſeru.* 24. iuuenem quatuordecim annorum, qui pignore poſito cum altero certauerit, ſe pro lubitu, quotiescunque vellet, ſternutare poſſe, inſtituto certamine, tam vehementi correptum fuiſſe ſternutatione, vt centies et vltra repetita fuerit, quo facto, inſigni cephalalgia, et viſus poſthac hebetudine affectus, poſtera die eundem plane perdiderit, aegre admodum poſtea curatus. Nolim mihi hic obiiciatur petulantia iuuenis, aut nimia commotio, qua ſibi temere tantum accerſiverit malum, nihil enim cauſa aduerſa lucrabitur, cum negari nequeat, quemlibet ſternutatione, arte imprimis praeter neceſſitatem excitata, idem ſubire periculum, a quo longiſſime abeſſe, ne quid ſua culpa ferat incommodi, virum prudentem decet. Quod ſi longius, ac debebat, videtur petitum, vtpote cuius cauſa ad tabaci vſum ab autore non referatur, aliud liceat addere exemplum, cui, cum de eius veritate certus ſim, hic locum concedere non vereor. Nempe quendam ex amicis noui, cui, vt ipſe ſaepius enarrauit, poſt nimium vſum pulueris huius errhini, et praecipue Hiſpanici, quem *Eſpagnol* nuncupamus, ſumme quidem volatilis, inter ſcribendi operam literae videbantur fluctuantes, oculorumque limbi perpetuis madebant lacrymis, validis inſuper lypothymiis accedentibus. Sed ſapere didicit hic piſcator ictus, vtinam et ſapiant alii! ne ſera ductis poenitudine, tum denique deſiſtendum ſit, cum maximo ſuo cum detrimento experiri oporteat, quod ante ſibi perſuadere aut non poterant, aut nolebant, cum tamen rei veritas et periculum, non ſolum allatis iam exemplis pateat, ſed et rationibus ſuis nitatur, certioribus, quam quidem vellent iſti, ſanitatis ſuae adeo negligentes contemtores. Eas ex SIMONIS PAVLI *Tractatu citato* petere lubet, qui quaeſtionem quandam,

cur multi propter ſternutationem, praecipue ſtudio excitatam, coecitatis ſibi contraxerint labem, proponens, tribuendum id ſtatuit vel arteriarum carotidum ramis, qui, cum neruis opticis vicini ſint, eos ob vſum tabaci nimium comprimant, vel pituitoſo cuidam humori, qui ex cerebro ad neruos dictos copioſius translatus, eos obſtruat, vnde coecitas extemplo oriatur, nullo modo, vel certe rarius, ob moris iſtius praeprimis prauitatem non mutatam, curanda.

§. XIII. At, nondum heic eſt calamitatum terminus, ſed plures ſunt ſtrages, quibus praeterea producendis, naſalis iſte puluis admodum euadit opportunus. Officit enim ſupra omnem modum tum auditui, tum omnibus neruis in cerebro reperiundis, nonſolum vi rodente et ſtupefaciente, ſed potiſſimum ſternutationis exploſione, ſi qua inde excitatur, vehementiore; qua, cumprimis frequentius repetita, fieri ſolet, vt ob hinc metuendam neruorum teneriorum diſruptionem, aut certe violentiorem commotionem, poſt plurima, eademque grauiſſima mala, temere conciliata, ipſa etiam mors tandem accerſatur. Ita enim IO. CHRISTOPH. MAGNENVS *Tractatu de Tabaco*, §. *1. p. 105.* non paucos interiiſſe affirmat, ob meninges in capite, valida ſternutatione diſruptas, exemplum addens viri, vicies quater ſternutantis, cui extemplo ſubſequens vigeſima quinta ſternutatio lethalis fuerit, ob arterias membranasque, cerebrum ambientes, confeſtim diſruptas. Tales effectus triſtes ſternutationi deberi, confirmat quoque autor *Operum* LANGIANORVM *P. II. Caſu 38. p. 303.* lacerationem inquiens vaſorum, inde ſequentem ſanguinis in cerebrum effuſionem, et per conſequens exitioſa mala conciliare. At vero, inquis, quid ex adductis iam exemplis, ad puluerem tabacinum accedit culpae, cuius nulla hic adiecta legitur mentio? Sternutationem autem, an ex nimio illius vſu excitatam, aliquo munitam contra deplorandos iſtos effectus, ipſamque mortem priuilegio eſſe, exiſtimabis? imo tanto magis fugitari oportere ſtatuendum erit, quanto magis pernicioſum eſt, quod naturae inuitae obtruditur,

Auditui obeſt.

truditur, quam ad quod ipſa per ſe excitatur. Vnde facile eſt intellectu, eos, qui eo omnibus modis annituntur, vt nares frequentius titillando, ſternutationem proliciant, auditus deſtructioni, ipſiusque adeo vitae periculo ſeſe exponere; tanto in ſe iniquiores, quanto inconſultius cauſam mali curioſe marſupio ſecum circumgeſtare, mortem factis adeo impenſis comparare, et ex pretioſa aliqua capſula haurire non dubitant, quam, ſi ſaperent, abominarentur, multoque aere redimerent, nouumque adeo iniuriae, non ſubtilis, ſed ſatis etiam craſſae, vt ab admonitis atque ſcientibus commiſſae, crimen exercent.

Pectoris morbos auget.

§. XIV. Sed, quid de iis ſperandum ominandumue exiſtimabimus, qui, cum pectoris et pulmonum affecti ſint vitiis, a praua tamen eorum haud deſiſtunt conſuetudine, quorum complures, ſua culpa infelices, haec noſtra perſecuta eſt lucubratio, ſed eos ſtrenue potius imitantur, et, cum plane ante tabaci eſſent abſtemii, in eius vſu, morbi ſui remedium quaerunt? hiſce praeſagiendum eſt, fore, quod in *Oper.* LANGIAN. *P. III. Diſp. De Sternutatoriorum vſu et abuſu, §. 53.* legitur, malum quidem ſe ſuum exagitaturos, ſed non ſublaturos, nec eſſe, cur mirentur, ſi ſymptomatibus et doloribus auctis, mors paulatim caeterum irreptura, nunc imprudentius laceſſita, plenis alis aduolet, et inopinantibus ſuperueniat. Quae ſententia, iis dicta, qui temere, et inconſultis rei medicae peritis, refugium in tabaci quaerunt virtutibus, rationibus itidem nititur non contemnendis. Ne enim ad experientiam prouocem, qua iis, qui perpetuo pulueris tabacini vſui, ſtrenue dant operam, tuſſim a puluiſculo hoc ſubtili excitari perpetuam, docemur, ex quo haud obſcure colligi poteſt, illum phthiſi, haemoptyſi, aſthmate, vel quacunque alia pectoris labe iam tum vexatis, non poſſe non maximo eſſe damno; pronum certe erit, intelligere, malum iſtud domeſticum per motum ſanguinis auctum, grauius exagitari, et ita quidem, vt, quod auertere tentabant incommodum, nonſolum augeatur, ſed et nouis ſubinde morbis occaſio frequentior praebeatur; cuius cauſa ad vim acrimoniae,

reme-

remedio huic ſuſpecto inhaerentis, referenda omnino eſt. Serum videlicet, in corpore peccans, dum ope eiusdem detrahere et corrigere ſtudent, perpetuam quoque ſibi coryzam, iſtud copioſius inuitando, perpetuo herbae ſuae vſu contrahunt, nariumque tandem obſtructione producta, aëris liberiorem ingreſſum impediunt, ſuffocationemque aliqualem, vel certe difficiliorem reſpirationem patiuntur, non niſi plenaria huius pulveris abdicatione aut tollendam, aut certe mitigandam.

§. XV. Et haec quidem in genere dicta, ad incommoda, vtrique ſexui metuenda, pertinent; iam et feminis, ne, quid ipſis in ſpecie cauendum ſit, ignorent, breuiſſimis dicendum quod res eſt, vt, quam infidae ac periculoſae ſint, quibus non parua earum pars nimium gaudet, deliciae, quamque inſidioſa ſanitati ſuae iſta ſit voluptas, diſcant. Praecipue iis, quae plethora laborant, audiendum erit, et memori mente tenendum, quod HILDANVS *Centuria III. Obſeru. 58.* de femina nobili, circiter L. annorum relatum reliquit, quae nimia ſternutatione adeo fuerit correpta, vt reſpirare difficulter valuerit, dein autem nimio menſium fluxu adeo fuerit infeſtata, vt per octo ſeptimanarum ſpatium, enormi hac haemorrhagia ſatis fuerit excruciata. Ne idem ſibi accidat, tanto magis noſtrae aetatis feminis metuendum eſt, quo praeſentiorem huic malo materiam, pulueris ſternutatorii intempeſtiuo ſubminiſtrant vſu, cuius tamen iam dicta mulier ab autore non inculpatur. *Sanguinis orgaſmum excitat.*

§. XVI. Fugiendus praeterea omni modo eſt pulueris iſtius nociui vſus, cunctis grauidis, ſiue in initio geſtationis ſint conſtitutae, ſiue partui propiores exiſtant. Nam, cum paulo ante monitum fuerit, quam aptus ſit tabacini pulueris vſus, in ſanguinis orgaſmo apud quemcunque, praecipue tamen plethoricum, augendo, hoc potiſſimum loco demonſtrandum erit, vterum gerentibus id mali identidem ſine dubio accidere poſſe. Quis enim neſcit, quam tenerrimae ſtructurae ſit foetus, in vtero materno deliteſcens, etiam iam fere perfectus, et quam facili negotio ſaepiſſime factum ſit, vt vel culpa matris tenuiſſi- *Grauidis nocet.*

ma, vel alius accidentis et vix euitabilis mali caufa, ante partum vterum pro fepulcro fuerit nactus, vnde abortus, cum ipfius matris vitae periculo, non raro euenire folet. Quanto maiori vero cum ftudio fternutatorii pulueris vfus illo tempore erit fugiendus, cum nonfolum antea enarrata mala ex eo proveniant, fed et praecipue hoc in paffu, fternutationis vi, infignis in corpore excitetur conquaffatio; certe fieri facillime poteft, vt placenta vterina, non adeo firmiter interdum vtero adhaerens, relaxetur, vnde poftea, fi non plane lethalis, certe valde periculofa haemorrhagia, cum foetus praematuri exclufione fequitur. Quod, quam prope aut longe a crimine infanticidii abfit, meum non eft, hic excutere, ipfae et iurisconfulti viderint.

Loquelae fuauitatem impedit.

§. XVII. Tandem, cum poft faciem formofam, moresque bene cultos, nihil gratius acceptiusque, tum in vtroque fexu, tum in femellis praecipue haberi poffit, quam loquelae fuavitas aut puritas, raucedine afperitateque carens, feu, quod idem eft, non impedita libero gutture pronunciatio, omni opera illam certe amoenitatem, quamquam non curiofe affectare, conferuare tamen ftudebit, quisquis illam a natura nactus eft. Equidem viri, vt forma eos neglecta decet, fic forte non magna etiam huius momenti tenebuntur cura; at, quae alias fatis, aut etiam nimis nonnunquam induftriae in hoc labore funt mulierculae, mirari queas, qui fiat, vt de fugiendo tanto gratiarum, quae in vocum decora formatione fitae funt inimico, minime fint follicitae. Licet enim quotidiana, tum aliarum, tum fua doceantur experientia, tabacum naribus exceptum ad fauces deferri, indeque non exigua quantitate, maximo cum incommodo eiici, eodemque modo effici, vt fauces vi tabaci corrofiua exedantur, imo et inflammentur, vt adeo exinde vel raucedo perennis, vel vocis certe oriatur iniucunditas; malunt tamen aliquae infuaues et horridae auditu, continua fcreatione effe, quam huius labis, certe non parum inuenuftae caufam euitare, confultius profecto acturae, fi ob conferuandam quoque

que

que elegantioris vocis gratiam euitarent, quod ob plurima alia, ceu demonſtratum fuit, incommoda, ad extremos Indos, quibus natales debet, merito, et cum ſalute patriae relegandum eſſet. Neque eſt dubium, quin ipſae, de tot malignis eius effectibus conuictae, peſſimumque pharmacum abominatae, virorum quoque animos flectere, atque exemplo ad ſui imitationem, qua in aliis felicitate pollent, allicere valiturae ſint.

§. XVIII. Poterant plura adhuc de pulueris huius abuſu in medium proferri, ſed, nec in conſcribendo hoc opuſculo, iuſti tranſiliendi erant limites, nec lecturis ſatietatem, atque adeo nauſeam commouere oportebat. Ante tamen, quam pedem figo, monendus eſt lector, me, cum de intempeſtiuo tabaci vſu dicere, et metuenda inde pericula perſtringere, in animum induxerim, neutiquam omnem eius vſum improbare aut negare plane voluiſſe, quem in partu promouendo, catarrhis, cephalalgia, apoplexia, pluribusque affectibus praeſtat. Quae tamen eius amatoribus aut nullam, aut irritam praebent excuſationem, quorum quippe vitio fit, vt, quod medicinae naturam, tempeſtiue et prudenter adhibitum, habere poteſt, quotidiano vſu, eodemque temerario, non tam vileſcat, quam potius ſumme noxium fiat. *Concluſio.*



DISSERTATIO II.

DE POTVS COFE ABVSV NOXIO,

PRO LOCO,

IN FACVLTATE MEDICA OBTINENDO

MDCCXXXIII. D. XII. IVN. HABITA.

SENECA *Natural. quaest. L. IV. c. 13.*

Aquam, quam natura fluere, et patere omnibus voluit, cuius hauſtum vitae publicum fecit, quam tam homini, quam feris, auibusque, et inertiſſimis animalibus, in vſum large ac beate profudit, contra ſe ingenioſa luxuria redegit ad pretium. Adeo nihil poteſt illi placere, niſi carum. Illi, cui diuitiae moleſtae ſunt, excogitatum eſt, quemadmodum etiam aqua caperet luxuriam.

---

§. I.

Voluptas, nouitatis mater.

Poſtquam ſemel, veteri abdicata ſimplicitate, ab omnium temporum ſapientibus tantopere commendata, in luxum defluere coeperunt mortales, non potuerunt non, nouis quotidie excogitatis, ac vndecunque anxie congeſtis deliciarum generibus, ſuum demulcere genium. Omni propemodum natalis ſoli penu excuſſo, ad ipſos tandem Arabes et Indos excurrerunt, ſolem foecundiorem, vbi oritur, quam vbi occidit, praepoſtere rati. Quem fugit, vt hic modo per lancem ſaturam quiddam nominem, inde ad nos, neſcio an infelix illud tabaci lolium allatum? quo, ſi amatores illius audias,

nil

nil maius, meliusue terris
Fata donauere, bonique diui,
Nec dabunt, quamuis redeant in aurum
Tempora priscum. a)

Huius quippe introducto vsu, fumo adeo immodice vesci didicerunt mortales, eo tantum sibi placentes, vt, si non animam, illius certe voluptatem, per traducem, seu canalem tubi fictilis transferri credant. Fumabant igitur ora, potu tamen adhuc domestico saltem proluenda, cum ecce opportune adueheretur fructuum genus, praeparando inde potui calido aptum, quo deorum Nectar restitutum videbatur. Vix nominis opus interprete, quandoquidem, si potum nectareum vocaueris, nemo non illum, quem vulgo COFE appellant, innui, sponte auguratur. Incognitus hic maioribus, primum a paucis, et proceribus, medicamenti ad instar adhibitus, paulo post, vbi viliore pretio comparari, et maiore quantitate apportari poterat, omnibus familiaris, ab aris tantum non ad haras, et a tiaris ad triarios abiit. Ita vero a modico rerum vsu degenerare solent plerique, veteribus romanis, quorum iam ad exempla, omnem morum simplicitatem cum luxu commutarunt, in eo quoque simillimi, vt, sicut hi olim potus Caldae, ita potus Cofetani abusum pessimum introduxerint. Non obscure forte, aut iniucunde, hos inuicem si comparauerim, vitiorum proderetur recursus, nostrique seculi κακοζηλία, ni nimium extra oleas vagari viderer. Sufficit, romanos primum raro, et sanitatis causa Caldam potasse, mox magnos eius desorbuisse calices, hinc coenis et prandiis intulisse, tum defruto, melle, nardoque miscere didicisse, partim nouitatis studio incensos, partim principum virorum exemplis allectos, partim voluptate lacessitos. Peculiarem vero eius ministrandae seruum alebat quaelibet domus, praeparandae vero, pretiosa iuxta ac ingeniosa ostentabat vascula, de quibus omnibus data ac doctissima opera differentem legere iuuabit ICtum vere humanum, GE-

Exemplum romanorum, caldam bibentium.

a) HORATIVS *Carm. L. IV. Od. 2.*

BAVERVM *b*). Summa haec, Caldam potandi auiditas, non vnum veterum autorum ac Poëtarum ſcomma prouocans *c*), ipſi Tiberio Imperatori, Caldii nomen inter ridentes fecit. Hodie, ſi tam multos, Caldam Cofetanam adeo immodice et impotenter ſitientes, ſi inuento, quo potum fabalem reddant ſapidiorem, non quod pueri in faba, ſe inueniſſe gloriantes videas, an non ad hos quoque Caldiorum, aut ſi mauis, Fabiorum nomen aptabis? quod inclutam illam romanorum gentem, ab eſu fabarum, ipſi familiari et grato, nactam legimus. Sicut enim aegrorum ſitim potus accendit, ſicut ignis lignis ardentibus non obruitur ſed augetur; ita diuturna conſuetudo, iam facta neceſſitas, auiditatem acuit. Sentiunt damna domeſtica cordati Catones et Curii, et bacchanalia haec Cofetana execrati, ad raucedinem clamant:

O mulier, mulier, quaerenda pecunia primum,
Cofé poſt nummos.

Huic ſane abuſui remedium, legemque ſumtuariam, ne quid ipſa reſpublica detrimenti capiat, et, dum potum hunc otioſiores ſorbillant, facultates ciuium aeque ac bona decoquantur, poſtulandam eſſe, quis non videat? Non vno loco, celebris ille morum in Anglia ſpectator, tabernas Cofetanas, turbulentorum conſiliorum vocat officinas; ſurdis tamen narratam fuiſſe fabulam auribus, maiora indies incrementa capiens abuſus, luculenter teſtatur. Commouit me iſtud tam lente imperans cacoethes, vt, quod olim in *tabaco ſternutatorio* multis non diſplicuit *d*), quantum hic ex potu Cofé, vltra modum ingurgitato, detrimenti ſit metuendum, explicatum darem. Tantum autem abeſt, vt ſcholam profitear PYTHAGORAE, qui fabis pror-

Tranſitio ad tractationem.

b) De Caldae et Caldi potu apud veteres.

c) IVVENALIS *L. I. Sat. V. v. 49. ſq.*

Si ſtomachus domini feruet vinoque ciboque,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis - - -
Vos aliam potatis aquam.

d) In Diſſertatione, Lipſ. 1727. habita.

prorſus abſtinere iuſſit *e*), vt potius diuerſa, modico eius vſui non ſim denegaturus commoda, de gula ſaltem, ipſi nimium aſſueta, id ſolum obtinere cupiens, vt negata ſibi indies largiore eius infuſione, iuſtum tandem ſciat ſeruare modum. Et, quamquam quis forſitan Iliada mihi poſt Homerum obiiciat, morbo tamen et abuſui inueterato et tenaci, illi non vnam medicinam, huic praeceptum parandum eſſe, quilibet largietur.

§. II. Licet vero, quae medicae ſunt contemplationis, mihi hic maxime monere, conſtitutum ſit, operae tamen pretium cenſui, pauca de huius potus hiſtoria praefari, tum, quod illam non raro iuuare ſoleat, tum vel hac, ſi praeceptis medicis non poſſim, apud amatores illius aliquam ſaltem gratiam meriturus *f*). Vix hominis egreditur memoriam, quo nomen eius apud nos increbeſcere coepit. Hinc et potum iſtum, in earum rerum numero haberi audias, quarum inuentionis gloriam, vltimae ſeculi aetati, ad ſubleuandas forte maiores, prae priſtina moleſtias, benignius quoddam fatum ſeruaſſe creditur. Quis primus inter Europaeos ſaliuam mouerit, potumque hunc notum reddiderit, ſi quaeras, apprime huc facientia inuenies in *itinerario Arabiae felicis*, gallice ſcripto, et Pariſiis anno 1716. edito, cui addi meretur Commentarius *de arbore et fructu* *Origo eius.*

e) Vid. GELLIVS *L. IV. c. 11.* et CICERO *de diuin. L. I. c. 30.* Sunt tamen, qui Pythagoram, non fabarum vſum ſuis interdixiſſe diſcipulis contendunt, ſed praecepiſſe, vt τὸ κυαμίζειν fugerent, cuius verbi ſignificatio, aliud longe quid, quam fabarum vſum indicans, eruditos non fugit.

f) Huius potus mos primum maxime in regione Mecca inualuit, vbi tamen Gubernator, ex conſilio deuotorum, qui eum legibus putabant contrarium, eundem interdixit, adeo, vt in transgreſſores dure animaduerteret. Sed, re ad Sultanum Egyptiacum delata, reuocare illam prohibitionem, et abuſum ſolum inhibere iuſſit, quoniam etiam res optima, vti aqua fontis Zemzem, in abuſum abire poſſet. Eadem fata expertus eſt Conſtantinopoli, vbi legi ideo contrarius dicebatur, quia faba uſta, ſpecies eſſet carbonis, cuius vſus lege ſit prohibitus. Claudebantur proin tabernae, renouabantur mandata. Sed conſuetudo, et deliciae potus incitabant homines, vt religione poſthabita, intra priuatos parietes, et clam, crebro potum hunc ſorberent, vſque dum inſpectores politiae, fruſtra hic agi animaduertentes, et clerici ipſi, eius vſu capti, ipſum tandem permitterent. Vid. *Journal des Sçavans, pour le mois de Sept. 1716. pag. 246. ſq.*

ctu Cofé, item Tractatus historicus, *de origine et progressu Cofé*, qui vterque Lipsiae germanico idiomate prodiit, anno 1717. Nominandus autem hic etiam cum MARCO MAPPO, Medico Argentoratensi, in Dissert. *de potu Cofé*, iunctim cum alia, *de potu Theé et Chocolate* edita, Argent. 1695. LEONHARDVS RAVWOLFIVS Augustanus videtur, qui arti salutari Augustae Vindelicorum aliquamdiu non sine laude operatus, et incredibili dein studii herbarii amore captus, Senatus permissu, in Orientem anno 1573. iter suscepit. Is in itinerarii sui germanici cap. 8. quo a se obseruata, diligenti consignauit manu, Cofé fructus mentionem iniicit. Huius proin diligentiae debebimus victimas, qui exploratis Orientalium regionum deliciis, notitiam fructus Cofé, vt olim Israelitarum emissarii, vuas e terra Cananitica, bono omine apportauit *g*).

Variae eius denominationes. §. III. Celebratus autem hic fructus non sub vno innotuit nomine. Etenim si Domini DV FOVR Tractatum, Cap. I. et SIMONEM PAVLI, *de abusu Tabaci et herbae Theé*, pag. 58. consulamus, fructum hunc, antequam tostus in puluerem redigatur, aeque ac arborem ipsam Arabiae incolis *Buun*, latinis *Bunchum*, gallis *Bon*, potum vero inde praeparatum, demum *Cofé* dici, deprehendemus, non secus forsitan, ac aqua hordeo lupuloque decocta, tertium nomen indipiscitur. Hodie tamen discrimen illud parum attendi, nomenque posterius vnice fere vsitatum esse, constat. Ast, hoc quoque varie, mox *Cauè*, *Cauet*, *Cahue*, *Cophè*, *Chaube*, *Chohaua*, *Cahouah*, mox aliter, pro diuersitate vti videtur, linguarum et regio-

g) In Europam tamen primum demum allatus est Massiliam, anno 1659. a paucis autem sumtus. Circa annum vero sequentem, plures mercatores Massilienses, diuturno secessu in Leuanticas regiones, ipsi assueti, eum secum apportabant, et adeo frequentem reddebant, vt anno 1671. tabernae aperirentur, non sine magno hominum, nouitate hac, quam vendebant, captorum, confluxu. Id quod apud Medicos, multis contra hunc potum declamationibus, frustraneis tamen, occasionem suggessit. Vid. *Journ. des Sçav. l. c. p. 249.* Parisiis anno 1669. epocha potus introducti quaerenda est, vbi legatus, *Soliman Aga*, a Sultano *Mahumeto IV.* ad regem Galliae missus, magnum fabarum pondus secum attulit. Vid. *Journ. des Sçav. l. c.*

regionum, vbi in vsu est, effertur, apud nos *Cofé*, *Coffé*, vel *Caffé*, appellatur. Turcae, aliique Orientales, pronunciant *Cohué*, eiusque originem deducunt a *Cohuet*, *robur*, ipsius effectum in insigni corroborandi vi constituentes *h*).

§. IV. Iam itaque aderat fructus, inque deliciis esse incipiebat, genere licet, ad quod referendus sit, nondum intellecto. Risum meretur, quod DV FOVR Cap. I. Tractatus *de potu Cofé, Theé, et Chocolate* narrat, circumuolasse suo tempore quandam Parisiis chartam, quae fructum hunc pro mori specie venditans, egregias eius insimul virtutes depraedicauerit. Hic certe eadem de autore huius opinionis dici poterant, quae HORATIVS *Art. poet. v. 30.* habet, ***Error eorum, qui vel mori, vel leguminis esse speciem, arbitrantur.***

Delphinum syluis appingunt, fluctibus aprum.

Ipse etenim fructus, nequidem recentior, mori figuram refert, adeo vt, qui eundem siue nascentem siue maturum et siccum, prout ad nostras apportatur oras, pro mori specie habuerit, non nisi somnians cerebrum gerere videatur *i*). Alii, interque illos FRANC. BACO, COMES DE VERVLAMIO, *in Hist. vit. et mort.* herbis annumerauere, veniam tamen erroris hanc meretur ob causam, quod illius saltem mentionem obiter, et ex peregrina fama iniecerit, alibi vero, *in Sylua Syluarum, Cent. VIII. Exper. 738.* inter baccas referat. Ipse DV FOVR *Cap. I.* meritoque inde a IAC. SPONIO in nota subiuncta notatus, non sat accurate versatus fuit, quod peregrini *leguminis*

h) Alii, cum quibus consentit IO. BAPT. TAVERNIER *in Itinerario Turcico*, etymologiam vocis ab Arabico *Cabovah*, descendere putant, quod *vinum* significat, vnde postea nomen eius, ad potum, quem Mahometani illi substituerunt, applicatum fuerit. PROSPER ALPINVS Italus, anno 1580. iter in Egyptum suscipiens, et post reditum Professor Botanices, et horti medici Praefectus in Academia Patauina, in Libr. *de plantis Egypti, C. XVI.* et *de medicina Egyptiorum, L. IV. c. 3.* parem fouet sententiam, quod vinum significet.

i) Nonnulli ad speciem *Mirabilis Peruuianae*, s. *Ialapae* T. referunt, cum vero haec semen vnicum nudum, ex embryone oriundum gerat, Cofea vero baccam dipyrenam, nullam inter ambas plantas superesse similitudinem, nemo non cognoscet.

nis speciem vocauerit, quo nomine, teste VARRONE, *rer. rusticar.* L. I. 32. illa solum, quae vellendo leguntur, non quae subsecantur, venire solent. Imo, nos ipsi fructum, parum proprio, et non nisi a similitudine, nescio qua? desumto nomine, *fabam* appellamus, cum tamen planta quoad crescendi habitum arboribus annumeranda sit, e quarum numero nullam vnquam fabam esse, abunde constat *k*).

Patria eius. §. V. Alit autem hanc arborem feracissima Arabiae pars, quam olim felicem appellabant, hodie *Yemen* nuncupant *l*). Tanto autem magis haec sibi propria bona gloriari possunt Arabes, quod arbor ista, ex Aethiopia primum ad eos translata, patrium hic inuenerit solum, illic vero, ob parciorem foecunditatem, rarior sit. Interim eodem, quo Arabes, qui hunc fructum, aliis terris negatum, sibi solis proprium credebant, errore, multi quoque nostrorum aliquando capti fuere, eiusdem aliis in terris propagationem impossibilem arbitrati. Con-

Propagatio. stans enim olim fama fuit, Arabes prouidos vel inuidos, fructuum germen, antequam ad alias exportarentur regiones, aut superfusa aqua calida, aut leui tostione extinguere. Ast, vt iis supersedeam, quae ex autopsia, aliisque sat validis argumentis, in contrarium iam ante nostra tempora protulerunt viri experientissimi, id vnicum ex obseruatione multorum, quos allegat MAPPVS *in Dissert. supra cit.. pag. 10.* sufficiet, fructum nempe, aquae frigidae, aut spiritui vini iniectum, intra breue tempus germinis emittere rudimentum, arboremque ipsam, in non vno bene cultorum horto apud nos cerni. Non erat itaque, quod miretur IO. RAIVS Anglus, inter botanicos magnum caeteroquin nomen, vnicam regionem, tam arctis finibus circum-

k) Vid. infra §. VII.

l) Historiam inuentionis per custodem camelorum vel caprarum, narrat *Faustus Nairon* Maronita, linguae Chaldaicae et Syriacae in Collegio Romano Professor, in Dissert. quae extat in *Italor. eruditor. ephemerid.* anno 1617. Hinc et credibile, eius vsum non adeo esse antiquum, praecipue, cum et ii, qui prioribus temporibus peregrinati sunt, de eo, licet de aliis potus calidi generibus agant, plane sileant.

cumclusam, tanta fabarum copia, prodigae tot hominum gulae occurrere, nec vnquam fuisse, qui vel vnicum foecundum granum eius fructus, quo

humana sibi doleat natura negato, *m*)

furtim, velut alter Prometheus, ignem de coelo, ad nos pertulerit. Falluntur sane cum bonis Arabibus multi. Quis enim nescit, vicinas regiones, maximeque Indiae Orientalis, eadem lucri spe allectas, arborem hanc, magno numero in solum transtulisse suum. Inde accidit, vt, cum olim hic fructus, non nisi ex Arabia felici, primum in vrbem maritimam, ad mare rubrum, *Sues* dictam, indeque Egyptum transuectus, mercatura Venetorum ad nos perueniret, nunc, vbi India Orientalis, celebri commercio, huc a Batauis inuento, tantum fabarum prouentum, cum reliquis mercibus quotannis mittit, hae ab illis, quas vulgo Levantische appellamus, vtpote maiores et bonitate ab aliis distinctae discrepent *n*). Siquidem et neminem nunc latet, nostris temporibus alias insuper regiones, Coféae colendae operam dedisse, neque exiguum inde capere lucrum, indeque ex Insula *Iaua*, S. Dominici ex regione *Mississippica*, Surinamensi *Martiniquensi*, etc. varias Coféae fructuum species, insigni ad nos apportari copia, luculento testimonio, in aliis quoque terris ipsius ex voto cedere culturam. Nimis tamen hyperbolice loqui forte videtur NICOL. *de* BLEGNY, ex natione Gallorum, magna non raro et insolita sonante, in libro *du bon vsage du Theé, du Cofé, et du Chocolate*, anno 1682. edito, qui nobilem prope Diuiodunum, iam multos per annos, arborem

Ad nostras terras transportatio.

m) HORATIVS *L. I. Sat. I.*

n) Ditiores inter populos Orientales, non ex fructibus nudis, sed pulpa adhuc sua obuolutis, potum praeparant, hos vero in locis siccis et occlusis seruant, cum ex humiditate saporem minus gratum contrahant. Hinc Galli, qui in hisce regionibus isto potu sunt vsi, valde eum laudant, vulgatiorique praeferunt, cum eundem sacharo temperare non indigeant, ob natiuam dulcedinem, pulpae inexistentem. Appellatur hic potus, *Cofé a la Sultane*, de cuius praeparatione vid Differt. epistolica MICH. FRIDR. LOCHNERI, ad CONR. BARTHOLD. BEHRENS, *de nouis et exoticis Theé et Cofé succedaneis.*

rem hanc pari, quo apud Arabes, ſucceſſu propagaſſe aſſerit. O ſanctos credulos! dum, quod ſibi

haec naſcantur in hortis
numina, o)

laetati, cicer arietinum, vel quodcunque aliud vegetabile pro illa mirati ſunt. Forſitan non omnium conſenſu deſtitueretur haec imaginaria felicitas, niſi et noſtra in vrbe, hortulanorum cognitam haberemus indefeſſam curam, ſummamque vigilantiam, conſeruandae huic arbori neceſſariam, quorum nempe induſtria factum, vt non ſemel arboris Cofé flores et fructus oſtenderit hortus Apelianus, Boſianus, et cui ego praefectus nunc ſum, hortus Medicus, in quibus non exiguam arborum copiam, curioſi deprehendent ſpectatores, non tamen aeque felici et facili negotio propagatarum, ac ſi Arabiae ſolum ſolemque habuiſſent fauentem.

Character arboris. §. VI. Iam, cum ipſius arboris mentionem inieci, eiusdem quoque ſpecialiorem et pleniorem vt tradam deſcriptionem characteriſticam, ordinis iubet ratio. Vt itaque lectorum hoc in paſſu quoque fiat ſatis expectationi, liceat eam praemittere deſcriptionem, quam Dominus IVSSIEV *de arbore Cofé* pag. 679. habet: „Arbor, inquit, vnico Arabiae felicis ſo„lo gaudere credita, improba arte Amſtelodamum a Batauis „translata, in regium Pariſienſem hortum ſucceſſit p). Hic „educata, ad Iaſmini genus recte reuocata eſt q). Ramis hinc „inde e cautice naſcentibus, aſſurgit. Cortici cinereus ineſt „color. Folia ex ſingulorum ramorum nodis bina, ac ex ad„verſo

o) IVVENALIS *Sat. XV. v. 10.*

p) Hic velim autor pleniorem paulo, aequiuocae huius dictionis ſuppeditaſſet explicationem, qua nempe arte Bataui, furtim, vti quidem videtur, hanc plantam Arabibus, ſatis caeterum vigilantibus, ſurripuerint. Id quod enim iure commercii factum eſt, ad illicitas non videtur referendum artes.

q) Non omnis, paulo negligentioris obſeruationis hic ceſſabit culpa. Sat enim grauiter in regulas artis herbariae impingunt, qui Cofeam, *Iaſminum Caſtaneae folio* nuncupant, cum floris et fructus differentia, bina haec genera ſeparanda praecipiat, vti mox infra declarabitur.

„verſo poſita, erumpunt, laurinis fere ſimilia, ſuperne virentia, „inferne pallida, molliora, ſaporem et odorem nullum aromati„cum gerentia. Albi flores monopetali, ex ipſis foliorum alis „enati, breui petiolo nixi, Iaſmineos Hiſpanicos referunt *r*). „His odor ſuauis, leuis licet. Stamina quinque medium floris „occupant, fructus ex piſtilli floris parte infima oritur, calyci te„traphyllo viridi ac peregrino inſitus, primum vireſcens, milii „magnitudinem, dein creſcens, ceraſum adaequat, mox rube„ſcit, ac perfecte maturus, ex rubro infuſcatur. Huic caro „ſubrubra, nonnihil viſcoſa, ſapore ingrato. Exſiccata fit gra„tior, geminam frequenter, rarius vnam inuoluit capſulam, „friabilem, ſubluteam, tenuem, ex vna parte gibboſam, ex al„tera, qua iunguntur inuicem, planam. Capſulae inuolucro „reconditur ſemen, ex viridi albicans, calloſum, ouatum, con„vexum ſupra, ſubtus planum, ac profunde in medio ſulcatum.“ Satis accuratam iam dictus autor arboris huius tradidit deſcriptionem, niſi quod in eo peccaſſe videatur, dum Coféae flores Iaſmineis annumerauit. Iaſminum etenim ſi conferamus, illud vtique tam ratione florum, quam fructificationis et modi creſcendi differre, quilibet recentiorum botanicorum fatebitur. Longo quippe Iaſminum gaudet infundibulo, foliaque non ad marginem criſpata, ſiue vndulata, ſed plana ſiſtit, ipſosque flores in ſummitate ſaltem, non vero ad alas ramorum prorumpentes exhibet, quorum quemlibet duplex bacca dipyrena ſequitur, ex piſtillo tantum producta. Quare rem acu fere tetigiſſe videri poteſt celeberrimus HEISTERVS, qui, curatiore ipſius habita indagatione, nouo generi, a Iaſmino alieno, arborem iſtam inſerendam eſſe, iure meritoque ſtatuit, quamuis ſpecialiſſimum eius characterem non addiderit, vid. *Catalogus eius*, anno 1730. editus. Mearum proin eſſe puto partium, vt verum

r) BOERHAAVIVS *in indice plantarum, quae in horto academico Lugduno-Batauo reperiuntur*, anno 1710. edito, pag. 250, ita arborem noſtram nominat: *Ieſminum Caſtaneae folio, flore odoratiſſimo rubro, cuius fructus Cofé appellatur.* Hanc tamen non adaequatam eſſe Coféae appellationem, oculatiorum poſthac botanicorum comprobauit obſeruatio.

rum eius ſupplere tentem characterem, in quo quippe ſpecialius tradendo, neminem adhuc, quantum ſcio, deprehendi induſtrium. Eſt itaque *Coféa* plantae genus, flore monopetalo regulari, infundibuliformi, breuiore, in quinque lacinias acutas diuiſo, cuius piſtillum, vna cum inferiore et craſſiuscula calycis parte, niſi me frequentior, in plurimis floribus inſtituta obſeruatio plane fefellerit, in baccam abit globoſam, dipyrenam, ceraſi magnitudinem aequantem, quem fructificationis modum etiam quadantenus Dominus IVSSIEV in deſcriptione ſupra tradita indicaſſe videtur, dum piſtilli partem infimam, fructum ſuppeditare aſſerit. Foliis donatur ſuperne obſcure viridibus, inferne pallidioribus, ſimplicibus, vndulatis, modum vero florendi ſeruat inter alas ramorum. Cortex ipſi eſt flaueſcens, inaequalis, verrucoſus, ſtatura arboreſcens. Praeter modum florendi iam indigitatum, atque fructificationis diuerſitatem, a Iaſmino laciniarum quoque ratione in eo differt, quod nonnunquam ſex vel plures, imo et pauciores obſeruemus in Iaſmino lacinias, quas Coféa conſtanter quinas gerit. Accedunt ad numerum laciniarum quinque ſtamina, alba, cum floris infundibulo continua, quae HEISTERVS in Iaſmino non obſeruari perhibet, in Coféa autem, vbi ſatis diſtincte ſunt conſpicua, cauſam, neſcio ob quam? petalorum nomine ſalutauit, qualia tamen floribus monopetalis non competunt. Notis porro diſtinctionis annumerandum piſtillum bicorne, quippe quo Iaſminum deſtituitur; denique et bacca globoſa, ſolitaria, cum e contrario Iaſminum oblongam, ouatam et gemellam gerat baccam, transuerſim in petiolo haerentem. Quantopere cum veritate rei iam tradita conueniat deſcriptio, ipſa ocularis cuiusuis decidere poterit inſpectio, quare iam expoſitum characterem veriorem habebo, certiorem ab oculatioribus expectaturus *s*).

§. VII.

s) Multo minus ergo etiam, ad C. BAVHINI mentem, videbitur Coféa cum *Euonymo* vel minimam alere affinitatem, quamuis ipſi dicatur *Euonymo ſimilis Egyptiaca, fructu baccis lauri ſimili.* Euonymi quippe florem tetrapetalum regularem, cui ex piſtillo ſuccedit fructus tetragonus, quadripartitus, hic nullum concedere ſimilitudinis fundamentum, absque difficultate patet.

§. VII. Quis non itaque, vel me tacente, errorem eorum ſponte ſua cognoſcit, qui arborem hanc, ſemina fabis ſimilia gerere, peruerſe credunt. Quantopere enim a genere leguminum, ex quo fabae ſunt, diſcrepet, multis exponere modis, ſuperuacaneum foret, cum nemo, niſi rei herbariae plane ignarus, fabae et Coféae differentiam neſciat. Veroſimillimum autem videtur, originem appellationis huius erroneae, ipſi denominationi deberi, apud Arabes vſitatae, quibus *Bunn* dicitur, vnde facile euenire potuit, quod corrupto nomine, cum noſtro germanico vocabulo Bohnen, aliquo modo conſono, et olim, et hodie adhuc, fructus Coféae nuclei, fabarum nomine ſalutentur. Methodum porro, fructum hunc toſtioni ſubmittendi, et eius puluerem decoquendi, hic recenſere, ordinis iuberet equidem ratio, plura tamen, ad eius hiſtoriam facientia, vtpote in itinerariis fuſius reperiunda, enarrare, ne nimium euagari videar, medica, quae reſtat tractatio, prohibet, curioſiores lectores, de inuentione, propagatione, in terras noſtras e Gallia transportatione, et praeparatione, plura ſcire cupidos, ad TAVERNIERII et OLEARII itineraria, DV FOVR Tractatum ſupra citatum, et SIMONIS PAVLI Commentarium *de abuſu Tabaci, et herbae Theé*, ablegaturus *t*). *Vnde ſit, quod fructus Coféae fabae nominentur.*

§. VIII.

t) Sunt, qui ex ſacro codice, antiquitatem arboris Coféae, et fructuum eius toſtorum vſum, veteribus iamtum Iſraelitarum ſeculis notum, ex dicto 1 Samuel. XXV, 18. probare ſtudent, in quo de muneribus, irato Dauidi ab Abigaele, Nabalis ſordide auari, coniuge liberaliore oblatis agitur. Obtuliſſe enim dicitur ibidem Abigael Dauidi חֲמֵשׁ סְאִים קָלִי *quinque ſata polentae*, vbi vox קָלִי a קָלָה *aſſare*, vel *torrefacere* deſcendens, toſtum quid ſignificat, et fructus Coféae toſtos exprimere creditur. Vid. PASCHII *nou-antiqua*, Cap. VI. p. 447. Probationem ſuppeditat CASP. NEVMANNVS, quod קָלִי hic per Coféam ſit explicandum, in ſua *explicatione alphabeti ebraici*, quam vide in *Actis Erudit.* de anno 1708. Menſ. Mart. p. 114. ſq. Autor hic ſingulis literis ſignificationem quandam peculiarem ineſſe credens, hanc vocis קָלִי tradit analyſin, quod ק motum in circuitum, et ל aduerſatiuum denotet impulſum, qui aduerſus י extenſionem longam ſuſcipiatur. Cum itaque Cofé in toſtione ſimilem experiatur motum, קָלִי quoque pro Coféa habendum eſſe putat. Aeque firma videtur haec probatio,

Tranſitio ad tractationem medicam, vbi in genere de aquarum potatione pauca praemonentur.

§. VIII. Quae vero hactenus de origine, patria, varia denominatione, et deſcriptione Coféae, non ingrata forſitan lectoribus adduxi, fide quippe hiſtorica ſuffultus, eadem vt praemitterem, ne ſicco nimis pede, ad medicam eius ſtatim transgrederer diſquiſitionem, argumenti poſtulare poſſe rationem credidi. Illi certe, qui nimio eius vſui indulgentes, ſanitati ſuae inſidias, dulci hoc ſtruere non verentur irritamento, ſe mortem, vel certe morborum iliada, e longinquo, multis ſumtibus, et magno emere pretio, quam propiorem, ſi lubeat, atque faciliore negotio acquirere poterant, ſatis ſuperque cognoſcent. Noſtris enim temporibus rem eo fere rediiſſe, vt non niſi in abuſu plurium, caeteroquin minus noxiarum rerum, ſummae quaerantur deliciae, ſat multis conuincimur argumentis; et, ſi quid vnquam eſt, quod noſtrorum Teutonum, quos antiquioribus temporibus, fortitudine, prudentia, et morum ſimplicitate inclaruiſſe nouimus, hoc aeuo obſcurare valeat famam, id certe, praeter alia voluptatum genera, vltra ſitim potandi auiditatem eſſe, ipſe, quamuis huius ſim gentis progenies, fateri cogor. Pindari ſane vtiliſſimum, ſobrietati vt ſtudeamus, conſilium, plus iuſto, vel praepoſtere potius obſeruari, et, dum nimium attenditur, in vitium denique, libidinoſa imprudentia verti, non eſt, cur multis probem teſtimoniis, ipſa hic pro me ſtante experientia. Optimum, poëta iſte antiquiſſimus et prudentiſſimus, ſanitatem conſeruandi, luxum vitandi, temperantiam colendi remedium, in aquae conſtituebat vſu, omnibusque, quibus vita diuturniore, grauioribusque incommodis vacua, frui volupe erat, ſuum ἄριστον ὕδωρ, panaceae loco commendare videbatur. Quam ſtrenuos et attentos praecepti ſui habeat hodienum quoque ſectatores, multi, praeter vinorum crateres, aquarum variarum ſcyphi, quotannis hauſti, et, ne gutta ſuperſit, more palatino euacuati, comprobant. Quanto vero cum emo-

batio, ac ingenioſa quorundam medicorum, a plantarum configuratione, ad virtutes ipſarum, quibusdam membrorum malis ſpecifice ſalutares, exin cognoſcendas, facta argumentatio.

emolumento, quanta cum ſanitatis et vitae conſeruatione, huic praecepto mos geratur, medici peritiores iudicent. Vereor tamen, ne et medicorum quibusdam, hic res, diiudicatu difficilior paulo obtrudatur, cum non ſine multorum, quamuis non omnium ſuaſu, vel certe indulgentia, hunc aquarum, vſum dicam, an abuſum? in conſuetudinem vix corrigendam abiiſſe, compertum ſit. Adeo egregia illa, olim vſitatiſſima, longoque vſu comprobata remedia, quae, ſi non maiore, certe haud inferiore ſalutari pollent facultate, et minore copia commodius ſumta, omni vacare poterant taedii moleſtia, in deſpectum abiiſſe videntur, vt non niſi ea placeant, quae noua ſunt, quaeque menſuratim, nec ſine nauſea quandoque ingurgitari poſſunt. Quis non merito hominum rideat ineptam, a quantitate medicamentorum, ad maiorem exin ſperandum effectum, coniecturandi methodum? Quis non ſocietatem, aquarum potui immodico, quotannis per plures ſeptimanas, voluptatis ſaepe magis, quam ſanitatis cauſa indulgentem videns, Xanthi credat infelices conueniſſe imitatores, qui, quod ipſe, dum mare epotare conabatur, non poterat, vnitis iam tentare viribus audeant. Quis non varias aquas, iam calidas, iam frigidas ingeſtas, iam potum Cofé his ſuccedentem, iam vinum interpoſitum cernens, prima rediiſſe mundi exiſtimet tempora, confuſumque in ſtomacho praeuideat Chaos, in quo

Frigida cum calidis pugnant, humentia ſiccis u).

Non equidem animus eſt, omnem plane aquae, ſiue ſimplicioris, ſiue medicatorum fontium reiicere vſum, deque ipſorum effectu vel dubitare, vel eundem ſuſpectum reddere, cum abuſum ſaltem, vti ſemper pernicioſum, ita et hic noxium intellectum velim. Hinc et pari modo, dum iam pauca, de potus Cofetani nimio et intempeſtiuo vſu, ſumme damnoſo, pro ſubiectorum praecipue diuerſitate, verba ſum facturus, eius vſui modico, ſuam nullo modo denegabo laudem. Non igitur erit,

u) OVIDIVS *Metamorph. L. I. 19.*

erit, cur mares et femellae, pueri innuptaeque puellae timeant, non erit cur vereantur, me in exilium, inque Arabiam et extremam Indiam, vnde originem traxit suam, potum Cofé ablegaturum, cum nec ipse ab eius vsu, modico tamen, plane abhorream, adeo, vt eundem nostris ex terris prorsus proscribendum, atque has delicias, mortalium palatis inuidendas, neutiquam reputem. Haec saltem mea primaria erit et vnica cura, vt noxas varias, ex immodica Cofé potandi consuetudine oriundas, enumerem, eiusque amatores de iisdem vitandis praemoneam. Quapropter nec illi adhaerebo medicorum turbae, qui odio nescio quo? in hunc potum accensi, eum quouis modo exosum reddere studuerunt, quos inter, DVNCAN, HEQVETIVS, et SIMON PAVLI non vltimi sunt *x*), neque etiam eorum omni ex parte subscripturus ero sententiae, qui nimia forsitan eius voluptate capti, nectareo ipsum vix inferiorem censent potui, diuinisque prorsus extollunt laudibus, ex quibus HELVETIVS, ANDRY, BONTEKOE, IVISSIEV, appellandi veniunt *y*), sed media incedere via, cum tutissimum semper iudicem, hic quoque ex neutra stabo parte, ea quae prolaturus sum, medicis superstructurus fundamentis, caeterum lectorum relicturus prudentiae, num iisdem conuicti, ab eiusdem excessu abstinere, an vero eidem vlterius indulgere decreuerint. Sententiae vero meae stabiliendae, duo succurrent artis medicae firmissima

x) SIMON PAVLI in Tract. *de abusu Tabaci et herbae Theé*, p. 56. dum hoc decoctum palato suo aeque gratum affirmat, ac vilium pyrorum Europaeorum decoctum, wie eine hochteutsche Hozel-Brühe, parum ipsi fauere videtur.

y) ERASMVS FRANCISCI ita loquitur. Wenn der Cofé sonst keine Würkung hätte, wäre es doch diese, daß er derer Medicorum Stimme ändert, und unterschiedene Urtheile verdienet. Anfangs ward er durchgehends gelobet, das brachte ihn empor. Wie aber allzugroß Lob verdächtig ist, so fiengen die Gelehrten an, es mehr zu untersuchen. Simon Pauli ist zu hart, und schreibt gemeldeter Francisci, daß ihm einer, der obgedachten Simon Pauli gekennet, versichert, er habe den Theé und Cofé nicht einmahl selbst versuchet, sondern nur aus einer Passion verdammt, da er alle exotica verwarf. Dahero der König in Dännemarck, Fridericus III. da er den Theé in seiner Gegenwart verachtete, zu ihm gesagt: Credo, *Te* non esse sanum, welches er erkläret, er glaube, der Theé sey nicht gesund.

miſſima praeſidia, ratio ac experientia, quae ſemper indiſſolubili nexu iuncta, vti medicas veritates detegunt et firmant, ita et iam dicendis non omne denegabunt robur.

§. IX. Praecipua autem erit cura habenda, vt pauciſſimis partes Cofé conſtitutiuas exponam, vt eo faciliori negotio, noxae ab eius abuſu pendentes declarari, atque ad ſuas cauſas reuocari poſſint. Ab harum enim diuerſitate, et varia in corpora actione, effectum quoque non eundem expectandum eſſe, facile intelligi poterit. Chymico ergo igni committendi erunt nuclei Coféae. Nouis autem vt ſuperſedere poſſimus laboribus, Domini DV FOVR fecit induſtria; is quippe, vti *Cap. 8.* habet, deſtillationi expoſuit libram vnam granorum Cofé, retortae vitreae lutatae incluſam, quo facto, dimidiam librae partem, phlegma, ſpiritus, et oleum expleuit, quartam partem caput mortuum ſuppeditauit, cum reliqua quarta, iunctura licet optime lutata, euolauerit, totumque laboratorium odore Coféae perfuderit. Olei itaque empyreumatici, et phlegmatis praeſentiam ignis detexit; diuerſae autem ab hoc oleo naturae, aliud producitur, per infuſionem parandum, dum aqua ſimplex, integris Cofé granis infunditur, ex qua infuſione prodiens tinctura viridiuſcula, vnctuoſitatem in ſuperficie oleoſam monſtrat, ab illo tamen oleo, quod deſtillatione impetratur, longe diſcrepantem. Spirituoſas eiusdem, aeque ac ſulphureas moleculas, quarum ope intimius in corporum partes agere valet, praeter deſtillationem, ipſa toſtio, et odor maxime penetrans, manifeſte ſatis produnt, quem et lotio, poſt frequentiorem eius vſum miſſo, conferri, haud obſcure percipimus. Neque plane exiguam eius conſtituit partem terra, cui mucilaginoſae aeque, ac alcalino-ſalinae inſunt particulae; huius vero praeſentiam caput mortuum, poſt deſtillationem reſiduum, et nil, niſi inſipidam referens terram, comprobat.

Partes Cofé conſtitutiuae explicantur.

§. X. Variis itaque particulis cum conſtare ſciamus fructum Coféae, difficile iudicatu non erit, eius vſum non omnibus ſubiectis eſſe promiſcue ſuadendum, neque omni tempore illum vtili-

Hinc non omnibus ſubiectis eius vſum

conuenire, declaratur.

vtiliter sumi posse, veluti et data non apto tempore, vina nocere solent. Sinistram proin fouent sententiam, qui, tum eius vsum frequentiorem minus arbitrantur nociuum, tum asserti sui stabilimentum in proprio quaerunt exemplo, satis forsitan suspecto. Persuadentur hi Arabum relationibus, quos, nutritionis promouendae causa, hunc bibere credunt potum, cuius tamen vsum, illos quoque in voluptuarium commutasse, nunc compertum est. Tantum itaque aberit, vt panaceae mereatur nomen, vt potius ob abusum, vniuersaliter increbescentem, vniuersale quoque damnosum potulentum hac de causa sit nuncupandum. Calidioris autem temperamenti iam examinemus praeprimis subiecta, quibus vegetus et celerior sanguinis est cursus, hisce sane potum hunc suadere velle, aeque foret incongruum, ac si Iouis imitatores futuri, ignes ignibus impari tamen cum successu, compescere tentaremus, artis quippe regulis contrarium iubentibus. Dilutus magis potus, isque tenuior, hisce potius commendandus erit subiectis, quibus et sanguis spissior, et hinc pigrior, atque vel ad orgasmum, vel stasin pronior fluit. Cum autem potus Cofé, ob inhaerentem calorem et oleositatem, celeriori humorum motui fomitem praebeat, non poterit non sanguinea massa, in rapidiorem citata cursum, quampluri-morum morborum fertilissima euadere mater. Calidiores febres, easque inflammatorias, imo acutas et exanthematicas, ex multis nominasse sufficiat, quae, vti vel stagnantem sanguinem, vel praeter naturam celerius fluentem, pessimisque moleculis impraegnatum, pro causa agnoscunt, ita et non raro inflammationes, vasorum pressiones, obstructiones, imo denique extravasationes cruentas, infelicissimos habent comites. Querentes hinc audias de nimia phlogosi aegros, de siti immodica, doloribus capitis vix compescendis, vertigine, anxietatibus, et quae sunt id genus alia mala, sigillatim vix enumeranda. Frigidioris itaque constitutionis hominibus, modicum hunc potius esse concedendum potum, vel sponte sua patet, quorum quippe humores, tardius fluentes, viscidioresque, diluendi, et calore cor-

rigendi

rigendi ſunt, et quorum ſpiritus ſegniores, vegeto indigent motu. Huc referendi ſunt, qui phlegma copioſum, idque acrius mora diuturniore factum, generant, et hinc ſaepius morbis catarrhalibus, a ſeroſa colluuie, et pituita lenta pendentibus, vexantur. Quo magis enim his frigus infenſum eſt, quippe quod humores condenſando, et eorum euacuationem impediendo, vim morbi intendit, eo facilior materiae viſcidae et acris erit ſperanda reſolutio, quae, vti interdum ſolo calore externo impetratur, ita calidioris potus ope, eo feliciore cum ſucceſſu promouetur.

Stomachi concoctioni obeſt.

§. XI. Egregiam hic forte Cofé potatoribus ſubminiſtrari occaſionem, potus ſui adeo deamati cauſam gerendi, haud difficulter coniicere licebit. Etenim, quae de vi eius calefaciendi fuere conceſſa, ad eius abuſum, ſub vtilitatis ſpecie propugnandum, applicari ſaepius audimus. Quantum hinc ſtomacho conducat roborando, eiusque calori adaugendo, manibus pedibusque defendi haud quemquam latet, cuius quidem opinionis vniuerſalitatem haud impugnari poſſe, certum eſt, quamuis falſa, ab hac virtute, ſiniſtre intellecta, ad generaliorem quoque, in omnibus indiuiduis vſum, facta argumentatio, haud obſcuris ſeſe prodat indiciis. Non enim omnia, quae calida, quae ſpirituoſa, quae oleoſa ſunt, ſtomacho roborando euadunt apta, nec omnibus calorem ventriculi nimium auctum conducere, ratio docet, cum et frena huic incommodo non raro iniicienda eſſe, experiamur z). Quibus itaque digeſtio iamtum ex voto ſuccedit, his nec pro ventriculi tono firmando, conſilium petendum, adeoque, quaecunque calidiora ſunt, inter quae potus Cofé non infimum obtinet locum, minus tuto

 conce-

z) Solus autem calor, ad concoquenda alimenta non ſufficit, hinc et vis calefaciendi, potui Cofé inhaerere credita, nihil propterea faciet ad ſtomachum roborandum, vel cibos felicius digerendos. Sic enim os, vaſi, aqua pleno incluſum, nulla vi ignis diſſoluetur, in ſtomacho vero canino propediem digeritur, adeo vt, niſi motus accedat, niſi intima fiat cum liquore gaſtrico commixtio, calor ſolus fruſtra omnino agat.

conceduntur. Acor quippe liquoris gaſtrici, aquae Cofetanae, nimia copia ingeſtae, diluitur mole, et ſic, cum degenerauerit, vim appetitum excitandi, cibos ſoluendi, et in chylum laudabilem conuertendi, facile perdit. Accedit et oleum, quod vnctuoſitate ſua, ſpicula acriora menſtrui ſtomachalis obtundit et circumdat, adeo, vt loco ſalutaris, qui ſperabatur effectus, contraria plane ſeſe manifeſtare ſoleat virtus. Falluntur ergo et ii, qui vim nutriendi peculiarem, potui noſtro adſcribere tentant, Turcarum opponentes exempla, quibus perſuaſum ſit, ipſi tantam nutriendi ineſſe vim, vt hauſto eodem, labores per integrum diem, nullo interpoſito cibo, continuare queant. Quibus enim inter Turcas res domi eſt anguſtior, quique opificum laboribus diem tranſigunt, aliquot vaſculis Cofé, mane hauſtis, ſtomachum adeo ſatiant, vt diurnas defatigationes, ſine vlteriore ſolidiore alimento perferre poſſint. Hinc non curſorem, non militem eſſe, docent itineraria, qui non compendioſo apparatu, pro Cofé praeparando et bibendo ſit inſtructus, qualem aſſeruari inter rariora Horti Boſiani, viſu et admiratione digna, curioſos haud fugit ſpectatores. Vix vero vim hanc dici poſſe nutritiuam, neque et quotidianum eius vſum alimentorum ſolidiorum vicem praeſtare, imo nec ab ipſis Turcis hoc credi, vel exinde patet, quod nec hi pro hoc ſcopo hunc ſumant potum, ſed aliquando ſaltem, vbi neceſſitas ciborum impedit aſſumtionem, eiusdem vſum ſubſtituant. Falſo hinc quaeritur virtus ſtomachum ſatiandi, in particulis pinguioribus et mucaginoſis, quippe quae tanta non adſunt copia, vt potus hic, etſi quotidie abſorbeatur, aliis nutrimentis praeſtantioribus anteferri queat. Nutrire tamen aliquando poterit potus Cofé, cum lacte ſumtus, vbi tamen magna propemodum lacti inferri videretur iniuria, ſi, quod ipſi gratum habendum erat, Cofé vſui ſolummodo adſcribatur. Cum enim nutritio ſit, alimenti in ventriculum ingeſti, ope liquoris gaſtrici ſoluti, et motus periſtaltici auxilio ſubacti, digeſtio, et in chylum conuerſio, vnde poſthac, chylo cum ſanguine mixto, et ad extremos vaſo-

Falſa opinio, quod nutriat, refutatur.

Cauſa nutritionis lacti affuſo concedenda.

rum

rum fines delato, cuiuis parti, quantum apponendum erat, confertur, an potus Cofé solus hoc praestare valeat, atque tanta particularum, huic fini assequendo aptarum copia abundet, merito dubitatur, si modo perpendere lubeat, quantillum sit, quod in eius decoctione, vbi puluis grauior et crassior fundum petit, praeter spiritum et oleum, aquae iungi soleat, id quod vix in corporis substantiam, cum sufficientis nutritionis spe conuerti poterit, adeo, vt potius obesioribus frequentior eius vsus, ad nimiam nutritionem cohibendam, (zu einer Hunger-Cur) commendari possit. Lac vero admixtum, nutritionis intentioni commodius respondere, non opus est vt multis demum euincatur argumentis, cum ipsi, vim nutriendi, et chylum bonum copiosumque suppeditandi facultatem inesse, inde a tenera intelligamus aetate, insuperque magna admodum, e lactis et lacticiniorum vsu emolumenta, infantibus aeque ac adultis praestari, non ignotum esse possit. Lacti hinc merito concedendum, quod ipsius est. Num itaque Europaei bene prorsus sibi consulant, quando potui huic, sub praetextu, nutritionis negotio succurrendi, assuescere gestiunt, audacter affirmare nullus audeo. Vnius quippe populi ad exemplum, cui vsus eius forsitan conducere creditur, non omnium terrarum incolas viuere posse, ipsa docet ratio. Sic temerarium profecto foret, Russorum more, potu spirituoso fortissimo, in nostris immoderatius vti prouinciis, cum, quod ab his, climatis frigidioris exigere videtur conditio, a nobis non sine summo suscipi possit detrimento. Pari modo, regionum calidiorum clima, ipsa viuendi ratio, ciborum diuersa indoles, cum longe a nostris differat prouinciis, diuersum quoque ex peregrinorum fructuum vsu apud nos expectandum esse effectum, sponte patet sua. Accedit et alia necessitas, quae Turcas, vt de potu hoc frequentius sumendo solliciti sint, adigere poterat. Quicquid nempe a vino sperare poterant salubritatis, hoc, eius vsu lege Mahometica, et tot Imperatorum mandatis prohibito, a potu Cofetano impetrari posse, putant. Substituendum nempe erat in

vini

vini locum, aliud quo delectarentur, potulentum, cui quidem vinum merito praeferendum esse intelligebant, quod et aliquando, cum Imperator *Selimus* eius concederet vsum, summa cum auiditate potabant, referente LEONH. RAVWOLFIO in *Itinerar. Cap. 8.* quibus tamen deliciis mox priuati, potum Cofé substituere cogebantur. Nec dubium est, quod sanitati suae melius, quam quidem nostrarum regionum incolae consulant. Praeterea enim, quod lex alium ipsis iniungebat potum, temperamenti quoque qualitas ipsi minus videtur esse contraria. Frigida namque et phlegmatica cum sint plerorumque Turcarum corpora, cumque ipsa gens leguminibus multis, fructibusque vescatur; pro stomacho calefaciendo, horumque ciborum crudiore indole temperanda, potum Cofé non adeo sinistro adhibere videbuntur consilio, dum, quod vinoso praestare non licebat calore, aquoso efficere tentant *a*).

Vis eius effeminandi.

§. XII. Progrediendum erit ad aliam noxae speciem, in potus Cofé abusu deprehendendam. Quantum enim emolumenti, eius moderato vsui, in spiritibus excitandis, sanguine diluendo, et agilitate partium conseruanda, concedendum, tantum detrimenti e contrariis effectibus sentient, qui aquam Cofetanam, eamque puluere huius tosti plus iusto satiatam, quotidie hauriendo, tempus cum sanitate perdunt. Sic sola aqua, parum modice ingurgitata, cum atoniam viscerum, et fibrarum laxitatem conciliare valeat, quanto magis robur partium debilitabitur, vbi eadem, crassioribus et grauioribus terreis moleculis mixta, adhibeatur, quae nonnisi onerosae, et partibus quas occupant, torpidioribus reddendis, aptae euadere possunt.

Non

a) Interim non opinandum, hunc potum promiscue a Turcis vltra modum hauriri, quin potius fides eorum concedenda erit asserto, qui Turcarum modicam satis, hoc potu vtendi consuetudinem esse, oculati quippe testes, retulerunt. Ipsos enim sorbillatione, diuturniore quidem, sed parciore, atque tabaci fumigatione interposita, delectari; neque tantam, quanta apud nos increbuit, eius absumere copiam, certum est, referente id mihi amico, diuturno huius, inter honoratiores praecipue Turcas moris, teste.

Non mirum ergo, si humorum segnitie contracta, vigore actionum impedito, delicatulos, quibus non dies solum, sed et hora, sine Cofetani potus vsu transacta, perdita videtur, virili alacritate absumta, effeminatis haud absimiles esse, animaduertamus. Consentientem hac in re habemus SIMONEM PAVLI, qui vires potus huius, incommodo huic admodum deprehendit aptas, *in Commentario de abusu tabaci et herbae Theé, pag. 31.* vbi Persarum exponitur viuendi modus, qui teste OLEARIO *in Itinerar. Persic. et Moscou. L. V. C. 17.* potu hoc eum praecipue in finem vtantur, vt generandi vim imminuant, cum multis sese onerare liberis, molestum putent. Hinc et non raro prorsus steriles, et feminas et viros reddi perhibet, exemplo Sultani *Machmud Casnim*, qui, cum potioni huic nimium fuerit assuefactus, coniugem plane auersari inceperit, quapropter et ipsa, cum aliquando equum, castrationi destinatum, cultro nunc intellexerit subiiciendum, nec hisce doloribus, nec operatione opus esse iudicauerit, si modo potus Cofé largior ipsi saepius exhibeatur quantitas, vnde mariti sui frigidioris ad instar, pari ad generationem inhabilis sit euasurus modo. Hinc est, quod dictus PAVLI, odio vix extinguibili in hunc potum incensus, eundem plane e nostris regionibus exulare debere, consultius duxerit, quam tanto cum detrimento tolerandum. Mitiorem expectare poterat potus noster, ab hoc seuero nimis iudice sententiam, qui causam sterilitatis, sulphureis tribuit moleculis, quas infra, vbi de sexu elegantiore pauca quoque commemoranda venient, vberius paulo indagabo, vtrique sexui noxas, ex iisdem, copioso nimis agmine in corpus inuitatis oriundas, enumeraturus.

§. XIII. Prodeant interim alia in scenam subiecta, potum hunc non sine detrimento captura, ii nempe, qui et bilis vitio laborant, et hinc vel ad melancholicas passiones procliuiores esse solent, vel aliis, ex cachexia biliosa oriundis, affliguntur malis, vna cum iis, qui pituitam facilius generant, quibus pariter, quanto cum damno potui Cofetano indulgeant, demonstran- *Biliosis, melancholicis, et pituitosis nocet.*

dum eſt, cum certum ſit, eos, quibus per naturam largior bilis data eſt ſecretio, viuidum et rapidiorem ſanguinis, reliquorumque humorum experiri curſum. Cholericos omnes ſi quidem conſideremus, eos ad quaecunque negotia ſuſcipienda promtiſſimos, ingenio feliciore et alacriore praeditos, ad iram pariter procliuiores eſſe, deprehendemus, luculento indicio, quantum in illis humorum, a ſulphure copioſo exagitatorum, valeat acceleratio. Quae, cum ita ſint, quid quaeſo iſti ex potu quouis calidiore, ſiue vinoſo, ſiue aquoſo, proficient? cum humorum refrenatione magis, quam acceleratione indigeant. Vim enim ipſe iamtum calor, humoribus, nullo impulſu indigentibus, ſatis moleſtam inferens, tanto exercet grauiorem, vbi aliis incitantibus moleculis iunctus, maius acquiſiuerit, impetuoſius agendi robur. Praeterea et amarities, fructibus Coféae toſtis propria, ſimiles in bile deprehendens particulas, iisdemque iuncta et aſſimilata, amarori adaugendo omnino magis confert, cumque calore exſiccante vnita, ſtomacho euadit inimica, vnde nauſeis et vomitionibus crebrioribus glioſis, ſat largam ſuppeditari occaſionem, absque difficultate patet. Falſum vero, et intempeſtiuum quaeritur, amaritudini ſuccurrendi remedium, in ſaccharo adiecto, cum gratus hoc modo conciliatus ſapor, vt aqua haec plus ſitiatur, et largius potetur, efficiat, adeo, vt miſeri homines, murium more, qui puluere capiuntur dulci, hac quoque dulcedine allecti et decepti, immoderatius potent *b)*, bilemque et pituitam, dulcium additione magis cumulent, ſiquidem ſic

Dulcia ſe in bilem vertunt, ſtomachoque tumultum
Lenta parit pituita grauem c).

Et, quamuis in ſubiectis pituitoſis, quorum humores ob craſſitiem viſcidam aegrius fluunt, diluentia merito commendentur, quae quippe materiam ſpiſſam attenuant, et ad euacuationem

b) *De dulcium natura, vſu et abuſu,* conferri meretur GEORG. WOLFG. WEDELII *Diſſert. Ien. 1694.* habita. *c)* HORATIVS *L. II. Sat. 2.*

nem disponunt, vix tamen potum hunc, intentioni ex voto responsurum, arbitror. Sicut enim ob oleum et dulcedinem, biliosorum malis maior additur fomes, ita ratione terrearum molecularum, quibus vis coagulandi, incrassandi, imo et adstringendi inest, impuritates viscidiores, antea iamtum collectae, magis magisque condensantur, adeo, vt iis, qui frequentius morbis catarrhalibus, rheumatismis, melancholia, et generis glandulosi obstructione laborare solent, dum maior ad vasa conciliatur pressio, minus tutum possit esse remedium. Constat nempe inter medicos, virtutem attenuandi et diluendi, aquosis quidem praecipue competere medicamentis, quae vero aliis, et contrariis prorsus impraegnata sunt particulis, quales in Coféae fructibus deprehendimus, eadem quoque contraria virtute pollere, certo persuadebimur, adeo, vt aquam simplicem, Cofetano potui consultius duxerim praeferendam.

§. XIV. Haec eadem propemodum subesse videbitur ratio, cur male sibi consulere videamus hydropicos, qui, dum vasorum lymphaticorum obstructionem pariter, ac perpetuam oppletionem patiuntur, nouis subinde accessionibus, dum excretoriae cohibitae sunt viae, auctam, vnde non immerito eorundem metuunt, vel iamtum experiuntur rupturam, serique extrauasationem frequenter lethalem, inter alia potulenta, quae vi, diuresin praeprimis promouendi, et serosam congeriem eliminandi, aquasque pigriores commouendi pollere creduntur, potum Cofé, sinistro tamen adhibent consilio, aquarum quippe, quo plus sunt potae, plus quoque, in sui perniciem, sitientes vsum. Quae enim superiore dicta fuerunt positione, hic quoque peruersae medendi methodi indigitabunt causam, quam hic subeant ascitici, nihil certius expectaturi, quam pronum in Scyllam delapsum, dum Charybdim euitare contendunt. *Hydropicorum intendit symptomata.*

§. XV. Hisce certis, et extra dubium positis, mirum vtique vix videbitur, si videas tot tantosque, egregii caeteroquin, felicissimique ingenii viros, eruditione claros, studiis noctes diesque operam nauantes indefessam, attamen haud paucos ca- *Literatorum incommoda.*

 checti-

checticos, pallidos, ante diem ſenes, de inſomniis querentes, tremuliſque membris, etiam dum optima adhuc fruuntur aetate, formidandos. Grauiter ſane hallucinantur, qui ſolam cauſam lucubrationibus frequentioribus, meditationibus profundioribus, vitaeque ſedentariae, quam libris, quos aſſidua verſant manu, incumbentes degunt, adſcribendam putant. Neque rem acu tangunt, qui parciorem cibi potusque vſum, macilentae et fere hippocraticae nonnullorum faciei autumant cauſam, quippe cum literati plenum credantur euitare ventrem, ſobriis meditationibus noxium, ſpiritus diſſipantem, vel certe turbantem. Compertum enim eſt, et huius conditionis viros, cibum potumque largiorem non omnino fugere, neque ſuo facile nouercari palato. Veruntamen non procul a re aberrauerit, qui cauſam, cur nonnunquam cernamus literatos, rara pinguedine tectos, in conſuetudine poſuerit, potum Cofé praeter modum, etiam dum laboribus et ſtudiis vacant, bibendi, atque corpus, negotiorum grauitate iamtum ſatis confectum, magis magisque data opera infirmandi. Accedit, quod, dum hoc potu frequentius vti conſueuerunt, de incommodis, ab eius copia forte metuendis, aliquantulum ſubleuandis cogitent, atque hoc tabaci interpoſito vſu, ex voto impetrari poſſe, perſuaſum habeant, adeo, vt eius fumigatione omiſſa, ſpiritus tardius accendi, ſenſusque ſegnius agere putentur, vel certe eius vſu taedia emolliri credantur. Salus proin plurima in tabaco et potu Cofetano quaeritur, vtrumque omnes fere poſcunt, erudita canalibus ora admouent, publice doctrinarum flumine celebria, domi fumos atros, atro quoque potu proluendos, ſpargentia *d*). O miſeros eruditos, ſanitatis propriae oſores, ſubtilis, fere dicam craſſioris autochiriae reos futuros, qui fruſtra, quod impetrare credunt, moliuntur, ſpiritus, quos colligere

d) Amatur ſic maxime, oblectationis et otii fallendi gratia, ad exemplum Turcarum, qui magnam conſtituunt in eius quoque propinatione vrbanitatem, adeo, vt officio deeſſe videatur, qui eum non praebuerit. Vid. MAPPVS *in Diſſert. ſupr. cit. pag.* 29.

gere potius debebant, prodigalius dissipant, ventriculi concoctionem impediunt, causam doloris ipsius grauatiui, nausearum, vertiginis, non e longinquo demum petituri. Vnde tremor artuum, vnde noctes insomnes e)? non certe solis profundis curis adscribendae. Et, cum calamitas fere nulla, comite sit destituta suo, quid mirum, si dolores accedant hypochondriaci, quibus producendis, vita sedentaria largissimam suam confert symbolam. Infelices hos! qui sanitatis praesidium quaerentes, a tutiore via deflectunt, quos fideliter velim monitos, vt principiis peruersae huius consuetudinis mature obstent, alienisque periculis, vt propriis supersedere possint, cauti fiant, cum a medicina, sero parata, frustra exoptatus expectetur euentus, et malum, nulla posthac vi, nullaque arte corrigendum, per longas inualeat moras, difficillimumque dehinc, in natura expellenda, vsque tamen recursura, suscipiatur negotium.

Femellarum damna, in re domestica, faciei deturpatione, etc.

§. XVI. Quo minus vero indulsisse quidquam sequiori videar sexui, femellis, munditiei, morumque elegantiae caeteroquin studiosissimis, age, et his pauca dicam, nullus forte dubitaturus, quin ab illis intelligantur, quae sermone scripta peregrino, nonnullis incassum proposita videri poterant. Quis enim ignorat, et nostris temporibus non virorum tantum, in studiis excolendis positam esse operam, sed et artium liberaliorum et linguarum amore, femellarum haud paucas delectari, remque domesticam vilioris conditionis hominibus relinqui administrandam, cuius curam saltem barbaries, vel certe praeteritorum seculorum simplicitas, quorum nunc seueriores imitari non licet mores, matribus familias, oneroso iniunxisse putatur titulo, adeo, vt feliciora vtique nostra sint dicenda tempora, quibus Apollini Palladem prae Baucide amplecti liceat. Hinc et tanto minus, interprete opus fore credo, quanto certius, puella-

e) Monachi, (Deruis) et literati inter Arabes, quoniam vigilias et nocturnas preces facilitet, hoc potu vtuntur; vulgus proin ex feruore religioso, vsum eius introduxit, multas interdictiones adeo non curans, vt frequentissime eundem absorbeat, et mulieres in potu, sibi denegato, diuortii causam quaerant.

ellarum et mulierculàrum in dubium vocaſſe peritiam, inter grauiora poni poterat crimina, haud ita facile expianda. Neſcio autem, an feminas virorum forte ſeductas dicam exemplo, an vero easdem, cum et ſine magiſtro prauos diſcant mores, omnesque nouitates aemulari poſſe, ſibi gloriae ducant, potum Cofé prius deguſtaſſe, et vti Eua mater, cui garrulitate, et deliciarum vetitarum amore ſimiles factae ſunt, Adamo pomum exitioſum, ſic viris patellas, Cofé plenas, blando forſitan ſuavio comitatas, propinaſſe credam? in qua, quamquam adhuc dubius haeream ſuſpicione, id tamen pro certo habeo, eas cupiditate, potum hunc, magna, vt aiunt, paropſide hauriendi, totosque vno hauſtu euacuandi cululIos, viris nonſolum non eſſe inferiores, ſed et ipſos aliquando longe antecellere. A quo enim tempore, expectatiſſimus ille, potu Cofé vtendi modus inualuit, ſedulo curam egere, ſollicitae de cuiusuis rei adeo acceptae conſeruatione et propagatione mulierculae, ne deſideratus hic potus, omnium ore et conſenſu nectareus vocandus, in deſpectum abiret, vindictam ab eo ſat metuentes grauem, ſi haſce delicias palato ſuo experirentur ſubtractas. Quanto hinc cum gaudio tunc nouus hic aduena, cum a dulcibus labellis primo deguſtaretur, exceptus fuerit, haud difficulter coniicere poterimus, cum hodiernis adhuc temporibus nec in deſuetudinem abierit, nec vllum pepererit faſtidium, omni potius cum veneratione quotidie bibatur, ſuaeque bonitatis aeterna, aere et marmore digna, capiat elogia, gratiſſimus ſemper hoſpes, qui nec poſt tres dies vileſcat, ſed per omne ſe ingurgitatum iri aeuum, certiſſimam concipere poterat ſpem. De nouo enim ſubinde, pretioſoque apparatu, quo digne ſatis excipi poſſit, comparando, omnes videas ſollicitas mulierculas, vt habeant, quod colloquiis quotidianis, dum conuenticulis ſuis vacant, interponere poſſint, feliciore cum ſucceſſu confabulationes inſtitui poſſe, autumantes, quamuis hoc remedio, ſine ſilentii metu ſuperſedere poſſent; ſiquidem mulieri

per

per se lingua soluta est,
Quae responsa, etiam non rogitata, parat.

Attamen, si non inueniendis sermonibus, facilitandis tamen iisdem conducere creditur potus Cofé. Ariditas enim faucium, continua garrulitate excitata, medelam poscit, dulci hoc in decocto ex voto inueniendam. Tunc demum, disertas etiam absque hoc potu mulierculas, cateruatim audias, non sine strepitu varia noua commemorantes, fabellas narrantes, cantillantes, societatem hesternam, ipsos tandem viros traducentes, lusum infelici cum successu susceptum deplorantes, denique loquendo aliquantulum delassatas, quam primum lusus mentio facta est, lusum post potum parantes, Ennium patrem aemulaturas, qui

nunquam nisi potus, ad arma f).

Nec vero inter ipsas chartas lusorias, potandi cessat auiditas, sed famulantes ancillae plenis manibus indesinenter apportare iubentur pultaria, Cofé repleta, semperque ad primum nutum

vocatus adest calidae gelidaeque minister g).

Dicendum autem et his erit, quando cum sanitatis dispendio, potu hoc abutantur, et quantopere modum tenere nesciant. Surdis me quidem narraturum fabulam auribus, praescio, at narrabo tamen, ne prorsus insciae sint malorum quorundam, quae immodicam hanc potandi comitantur consuetudinem. Oeconomica quidem hic merito primum occupare debebant locum damna, quae non infima esse, haud obscurum videbitur, quippe cum decoquendo hunc potum, insatiabiles potrices virorum insimul decoquere non verentur facultates, maiore potus sui amore, quam virorum consortio captae, adeo quippe ipsum aestimantes, vt cum eo viuere ament, cum eo libenter obire cupiant, curas domesticae rei, quae ipsis magis cordi esse debebant, potu hoc dispulsurae, iisdem fugandis aeque apto habito, ac vino, de quo Poëta canit:

vino

f) HORATIVS *Epistol. L. I. Ep. XIX. v. 7.* g) IVVENALIS *Sat. V. 63.*

vino pellite curas,
Cras ingens iterabimus aequor h).

O prodigas feminas! quae prauo suo alias incitant exemplo, vt sumtus, rei familiari impendendos, in deliciis damnosis parandis profundant, nec se ad illum, quem sors et conditio dedit, metiantur modum, censum pereuntem non sentientes, ac si

exhausta rediuiuus pullulet arca
Nummus i).

Non adeo tamen prolixum hic esse decet, in recensendis variis dispendiis, ad rem familiarem magis spectantibus, cum medici, neutiquam vero iudicis morum officio fungi cupiam, adeo, vt ea, quae corpori femineo, potui Cofetano assueto nocent, enumerare potius conueniat, ne eandem, quam medici quaeuis indulgentes, incurram culpam. Salutandae itaque in limine statim erunt puellae, in faciei venustate conseruanda, et colore vegeto, quo magis sibi et aliis, pulchritudinis suae admiratoribus placeant, conseruando, curam ponentes omnem, quibus, cum formae amoenioris habitum, quouis sibi saepe comparare studeant modo, qua ratione exoptati euentus spe, propria excidant culpa, ostendendum est. Virgines hic praecipue, iuuenculasque optarem causas audientes, cur faciei remedium ipsis nonnunquam in cosmeticis quaerendum sit, quorum ope, facies rufas, et flauedine obductas, dealbare, cerussaque et minio pingere student. At sumtibus hisce frustraneis parcere poterant, si modo prauo, aquam Cofetanam nimium potandi mori, nuncium mittere placeret. Placebunt quippe posthac magis amatoribus suis, naturalem faciei nitidioris referentes colorem, fucatasque sibi comparandi genas, supersedebunt labore, ne de iis forte dicatur, quod Clitipho Chremeti apud comicum obiiciebat:

rufamne illam virginem k)?

Quid

h) HORATIVS *Carm. L. I. Od. VII. 31.*

i) IVVENALIS *Sat. VI. 361.*

k) TERENTIVS *Heautontimor. Act. V. Scen. 5. v. 17.*

Quid enim magis, quam deformis facies, ex instituto deturpata, virginem dedecebit? cui per potum hunc fuscum infuscatae, et metamorphosin fere Ouidianam, nouam quidem, minus tamen opportunam, subiisse creditae, haud incongrue Maronianum illud:

O virgo, noua mihi facies, inopinaque venit,

acclamandum esset. Hunc effectum autem abusui potus Cofé, apud haud paucas deberi, non adeo videtur improbabile. Quis enim ignorat, sanguinis motum praeternaturalem vel tardiorem esse, vel celeriorem, illumque a crassioribus et grauioribus, hunc a subtilioribus moleculis, massae purpureae rarefactione nimium concitatis pendere, vtrumque autem statui morboso inducendo apprime conducere. Lento motui fomes largissimus per incrassantia esculenta et potulenta, terreis et gelatinosis partibus mixta, praebetur, aeque ac citatior cursus spirituosis, calefacientibus, oleoso-volatilibus, et sulphureis debetur. Vtrumque pro subiectorum diuersitate, a potu hoc expectari poterit. Vnde enim est, quod tot pallidas, cachecticas, anhelosas, tributi lunaris nullum, vel irregularem prouentum sentientes, de appetitu turbato, cephalalgia, et quae sunt id genus incommoda, plures conquerentes quandoque audiamus hic illic puellas pariter ac adultioris aetatis mulierculas? nisi communem ipsis potum, pro causa non vltima harum lacrymarum ponamus. Vnde tot morbi chronici, acutique, quorum originem cum celeberrimo HOFMANNO, in potus huius nimia ingurgitatione ponendam esse, vberrime conuincimur, qui neruoso generi inimicissimus, eidemque debilitando, humorumque qualitati vitiandae, admodum aptus deprehenditur. Vid. eius *Medicin. Systemat.* quam et allegat SIMON PAVLVS HILSCHER in propemptico *de abvsu potus Cofé in sequiore sexu*, pag. 7. Pro diuersitate tamen temperamentorum et indiuiduorum, diuersum quoque, et priori contrarium, aeque tamen noxium, in aliis deprehendemus effectum, quibus celerior incenditur sanguinis motus. Dissipantur autem in his, per poros partium nimis patulos, spirituum

vitalium plurimi, et humores rarefacti impediuntur, quo minus iusto ordine et cursu, ad eas deferri queant partes, quibus vel nutriendis et roborandis erant destinati, vel in quibus secretionum variarum, et excretionum suscipi debebat negotium, non nisi summo cum incommodo turbandum. Vt taceam, bilem calore copiosiore exagitatam, terminos moderationis facile transgredi, cum constet, calidorum vsum, vti omnium humorum cursum, ita et bilis cum sanguine miscelam adaugere, et hinc flauos femellarum vultus, ictericis forte parum absimiles, eo minus mirari conueniet, quo commodius flauedinem, potu hoc ad superficiem cutaneam impulsam, fixam sibi sedem parare posse, suspicandum est *l*).

Generationis obest negotio.

§. XVII. Organis autem praeterea, generationi destinatis, infensum sisto potum Cofé, dum eadem eneruando, et tono debito priuando, ad officia sua vel segnius, vel irrito cum conamine peragenda, disponit. Cuius effectus causam in terreis, maxime tamen in crudioribus sulphureis quaerendam esse crediderim particulis, vtpote quae agilitate sua, igneque clandestino, organis sensim paulatimque stuporem inducunt, nouorum spirituum affluxum impediunt, iisdemque dissipandis magis, quam conuocandis aptae sunt. Vix autem vllum sulphur absque acidis concipi poterit particulis; hae autem humores et vasa, tenuiora praecipue, constringendo nimis et coagulando, imminuendi et exsiccandi produnt vim, quam hisce partibus inimicam vtique esse, satis superque norunt, quibus vel propter crapulam, vel quacunque alia simili de causa, induciae tem-

l) Beatus A. Q. RIVINVS, purpurae, antehac non adeo frequenter obuiae, crebriore autem potus Cofé vsu introducto, nunc plerasque puerperas inuadentis causam, in sacharo adiecto, ipsiusque potus abusu ponit, et in genere morbis exanthematicis scorbuticisque fomitem inde praeberi, non sine ratione putat, cum quippe materia maligna, in massam sanguineam propulsa, per cutem posthac, non sine summo incommodo efflorescat. Vid. IO. ANDR. FISCHERI Differt. *de potus Cofé vsu et abusu*, Erford. 1725. habita, pag. 17. 18.

temporariae, dulcis huius iniunctae fuerunt certaminis. Obiicientes equidem praeuideo alios, qui caloris vim in agilitate potius concilianda ponunt, quare et Veneris languidioris, vel plane frigentis segnitiem, sulphureis Coféae particulis vix imputandam esse, verosimile videri poterat; attamen, si modo probe perpendamus, praesentes adhuc, et veteranos spiritus, hanc quidem forsitan agilitatem sentire aliquamdiu posse, nouorum vero accessui impedimentum poni, facilius nostrae subscriptum iri sententiae, credo. Sic enim in febre calidiore, summus aestus, summum quoque aegris addere videtur robur, cum tamen, spirituum nimia copia absumta, in pristinam breui relabantur infirmitatem. Calori ergo depascenti, magis insignem virium iacturam, quam earundem restaurationem deberi, res est adeo penes omnes notissima, vt probatione haud indigere videatur vlla. Persas viuos produco testes, qui hoc potu immodice delectantur, non tantum vt palato suo faciant satis, sed et, vt nimiam sobolis impediant procreationem, cum liberis nullam, tanto vero maiorem voluptatibus dent operam, sterileque coniugium, quamuis Turcarum more polygamiam colant, foecundiori praeferant. Quod ergo Persis volentibus euenire, fide historica adiuti, intelligimus, id et Europaeis, inuitis accidere posse, non est cur dubitemus. Caueant proin virorum ac mulierculum frontes, ne, ob frigidiorem Venerem, studio conciliatam, posthac monstri quid alant.

§. XVIII. Tandem, et antequam desinant haec qualiacunque, circa potus huius abusum monita, satis quidem, vti puto, probata, matres adeundae sunt atque exorandae, vt his argumentis conuictae, aqua Cofetana imposterum parcius vti discant, certoque credant, se sero tandem, quando suo cum periculo noxas, quarum iam pauciores quasdam enumeraui, expertae fuerint, intemperatum suum potandi cacoethes eiuraturas. Id insuper ab ipsis impetrare cupio, vt in praua hac consuetudine, *Infantibus damnosus est.*

 infan-

infantibus adhuc tenellis indulgenda, ſanitatis ipſorum maiorem, quam materni affectus habeant rationem. Dolendum certe, infantulorum corpuſcula mature nimis aqua obrui, et ſalubriore ſuo priuari nutrimento, ipſosque fere prius potum Cofetanum, quam lac maternum, illis magis profuturum, deguſtare cogi *m*). Crambem bis coctam apponere non conſtitui, cum argumenta hactenus prolata, ſententiae meae corroborandae, ſatis ſuperque ſufficere valeant. Etenim, cum adultis eiusdem adeo damnoſum expoſuerim abuſum, quanto magis quilibet eum iſtis ſubiectis iudicabit pernicioſum, quibus adhuc infirmius eſt corpus, potui huic cum euphoria ſumendo, et malis, exin promanantibus ſuperandis, minus adhuc idoneum *n*).

Concluſio. §. XIX. Sufficere poterunt haec, de abuſu potus Cofetani breuiter expoſita. Plura vt commemorarem, tempus et ſcripti huius occaſio prohibuerunt. Quamuis enim vberius de hoc argumento diſſerere, animus fuerit, et plura circa hiſtoricam pariter ac medicam tractationem addi potuiſſe, probe ſciam, hic tamen ſubſiſtere lubuit in aliquali malorum enumeratione, quae ab iis, qui nimio potus ſaepe commemorati, capti ſunt deſiderio, metui poterant. Sicuti autem omnia iam dicta, de immodico et intempeſtiuo intelligenda cupio vſu, ita et vel ſponte ſua patet, multum emolumenti ad modicos et prudentes eius redundare poſſe potatores, cum ipſi ſuas, quibus pollet egregias virtutes, variis modis experiundas, nullo denegare audeam modo. Singulares tamen hos effectus ſalutares

m) Secundum IVVENALEM *Sat. XIV.*
Hoc diſcunt omnes ante alpha et beta puellae.

n) GALENVS *L. V. de ſanitate tuenda*, pueris vinum nociuum dicit, quoniam ignis igni additus, non niſi ſummopere ſit damnoſus, vnde et PLATO eius vſum, ad annum aetatis decimum octauum vſque, interdixit.
vino enim *forma perit, vino corrumpitur aetas.*
Hoc et praeceptum ad potus Cofé praematurum vſum in infantibus, pari de cauſa erit applicandum.

tares iam prolixius enarrare, nec conſtitui, nec propoſiti ratio exigit, cum ea, quae iam tradidi, eruditorum ſufficere poſſe diſquiſitioni arbitrer. Quod ſi lectoribus, vti ab ipſorum humanitate ſpero, paucula haec, non omni indigna viſa fuerint attentione, voti me vberrime compotem factum eſſe mei, profiteor. Nihil denique magis optandum arbitror, quam, vt quilibet de ſanitate ſua conſeruanda quouis meditetur modo, et ab abuſu rerum, dulcedine quoque ſua noxiarum, prudenter abſtinere diſcat, cum turpe ſit ciuibus, de quibus, in republica, optimae pacis felicitate gaudente, plures gula, et voluptatum immodica libidine, quam morborum, aliarumue calamitatum duritie periiſſe, dicendum ſit.



DISSERTATIO III.

DE
MORBIS EX MVNDITIE INTEMPESTIVA,

HABITA D. XXIX. IVL. MDCCXLVI.

IVVENALIS.

tanta est quaerendi cura decoris,
commune at vitium est.

§. I.

Omne nimium noxium,

Quemadmodum omne nimium, vti quidem in prouerbio est, in vitium verti solet, ita et quamplurimos, qui vitium vitare allaborant, in contraria haud raro ruere, affatim experimur. Ea enim est humanae gentis peruersa conditio, vt media paucissimis ingredi via, datum sit. Quodlibet viuendi genus si percurrere placeat, vbiuis homines deprehendere licebit haud paucos, qui, cum in biuio se constitutos intelligant, prudentiore rerum agendarum consilio aut destituti, aut ipsi minus obsequiosi, ad alterutrum extremum quam facile deflecti solent. Largissima sese prodit hinc causarum series, quae impedimento sunt, quo minus quisque, quem assequi cupit, attingere valeat finem, quin potius pluribus ineuitabilibus magis magisque implicatus incommodis, intentione sua praeter spem atque votum defraudetur. Vltra limites instituti excurrere viderer, si pluribus, quam constitutum est argumentis, aliunde, quam ex foro medico desumtis, rei veritatem euincere, susciperem. Non vna quippe hic, de iis conquerendi, comparebit causa, qui, dum de sanitate sua conseruanda serio se sollicitos

esse

esse arbitrantur, variis modis, et quandoque inscii, clandestinas ipsi struere solent insidias, imo et non raro aperta violentia id agunt, vt ipsos ferreos credas, nullo casu, nec vlla morborum iniuria superandos. Missos iam facimus, qui vel luxui, vel immunditiei dediti, Sardanapalum rediuiuum orbi sistunt; hos enim probe depexos iamtum datos fuisse, neminem latebit, cui docta virorum celebriorum scripta, assidua versare manu, volupe est *a*). Alios iam potius producere liceat, contrariam prorsus a prioribus degentes vitam, qui, dum munditiem nimiam affectant, et magnis quandoque sumtibus morbos mortemque sibi comparant, eo magis risu sunt digni, quod, dum Charybdin euitare student, aliorumque mores minus comtos, et spurcitiem detestantur, nihilo minus a Scyllae haud tuti euadunt periculis, in hoc saltem a prioribus aliquantum diuersi, quod, splendidiorem malorum causam se elegisse, gloriari possint. Paradoxon propemodum narrare velle videbor, dum munditiem, morbis quandoque tam prouocandis, quam in deterius mutandis aptam, sum dicturus, veniam tamen et assensum apud prudentiores me impetraturum, eo confido certius, quo minus munditiei verae vel laudabilis nomen, ea culposa, atque fere nonnunquam ridicula viuendi meretur ratio, quam hisce exponendam mihi sumsi pagellis. Vti quippe omni tempore, prudentiori viuendi atque corpus curandi generi, suam nunquam denegandam esse commendationem, quilibet, vel me tacente, perspicit, ita, vbi hic plus, quam par est, affectare lubuerit, non omnem plane cessare culpam, tristior, qui deprauatos istos comitari solet mores, aperte satis comprobat effectus. Siquidem, cum et data non apto tempore vina noceant, ita quoque intempestiua mundities, non poterit non omnibus malorum generibus viam sternere commodissimam, suosque amatores de vitae genere cautius ducendo, grauius monere. Foecundam itaque hanc matrem, speciosa forma incedentem, ex qua tamen

etiam in munditie.

cir-

a) Legi meretur praecipue hoc de argumento Excell. PLATNERI Dissert. *De morbis ex immunditiis*, Lips. 1731. habita.

circumsilit agmine facto,
morborum omne genus b).

deteſtabilem vt reddam, allaborabo. Et, quamuis forſitan, non vbiuis me gratiam conſecuturum, ſperare poſſim, nihilominus periturae non parcendum erit chartae, cum nihil interſit, qua fronte ab imprudentioribus, cuncta affectu peruerſo magis, quam ratione metiri ſolitis, legatur, ſiquidem ſaniorum me hic neutiquam deſtitutum fore approbatione et beneuolo ſuffragio, certus confido.

Munditiei fines,

§. II. Superfluum autem iudico, vlteriorem munditiei tradere explicationem, vel praecepta quaedam fuſius exponere, ad quorum ſeueriorem normam, cuiuis ſuam viuendi rationem inſtituere, neceſſum ſit, cum neminem latere facile poſſe arbitrer, quid per munditiem, non inter poſtremas moderati animi virtutes ponendam, intelligatur, quae, vti omnes homines, ita tamen eos praecipue decet, qui a vulgo longe lateque remoti eſſe cupiunt, quorum e numero neutiquam excludendas eſſe femellas, vel me ſilente, quilibet hariolari poterit. Neque tamen cum his ſolis rem habebo, ne, omnium in me concitata turba, hiſce pagellis perlectis, impetus vix ſuſtinendi ſubeam periculum, cum

a feminis et viris violantur.

Sint et doctae, rariſſima turba, puellae,
altera non doctae turba, ſed eſſe velint.

Quapropter et viros in ſocietatem ſimul vocare, conueniet, quos, quamuis forma neglecta et ſimplicior decere debebat, nihilo minus munditiem plus iuſto affectare, non obſcure cognoſcimus, vnde et eſt, quod eorum exemplo ducti,

eadem cupiant, faciantque minores c),

et ii, qui manum ferulae vix adhuc ſubduxerunt, aliorum mores, praua imitandi cupidine incitati, ſuos quoque facere geſtiant. Communi huic mori, abuſu peſſimo, atque nimia indulgentia, in vitium haud vulgare degeneraturo, medelam fortiorem opponendam eſſe, quis non videat? et, quamuis videar

vitia

b) IVVENALIS *Sat. X. 218.* c) IDEM *Sat. I. 148.*

vitia irritare vetando d),

ad ea nihilo ſecius emendanda, cuiuis cordato medico tanto audacius eundum eſſe, quo pertinaciora ſunt, quilibet perſpiciet.

§. III. A potiori et prima corporis humani parte merito initium faciendum, quae, vti reliquis ordine, ſtructura et functionum nobilitate, merito anteferenda, ita et munditiem plane ſingularem expoſcere videtur, cum eadem omnium ſit expoſita conſpectui, et formoſitatis praeterea ſibi vindicare ſoleat ſedem. Sed, quis et credat, tanto minus cautos eſſe, in capitis ſollicite conſeruanda ſalute, mortales, turpi deteriora imitandi incitatos deſiderio; atque, non obſtantibus variorum periculorum calamitatibus, negligentiorem atque minus opportunum capitis cultum certo ſubſecuturis, non vnum tamen hic deprehendi locum, in quem iniurios videamus multos, qui, dum ſtudioſius ornandae huic parti, operam dant ſuam, eandem magis deturpant, et ſanitatem, hic praeprimis non negligendam, pluribus modis labefactare ſolent. Capita conſpicimus haud pauca pulchra, caliendris et redimiculis leuiſſimis non velata aut tecta, ſed ſaltem voluptatis cauſa remiſſius ornata, in quibus tamen quandoque fruſtra cum vulpecula Aeſopica cerebrum quaeſiueris, quibus, variis modis exornandis, dum magnus labor, ſumtus vt taceam, impenditur, moleſtiarum quoque caterua cumulatur, id quod non ſolum *Capitis munditiei.*

tenerae faciunt, et non impune, puellae e),

ſed et viri, quos mores et vultus decebat grauior. Et, quid maiore videbitur cura dignius, quid ſollicitius fouendum, quam cerebri, nobiliſſimae illius partis, functionibus tam ſtupendis peragendis aptae, ſedes, quibus perditis, vel modo turbatis, vix ſanam mentem in corpore minus ſano conſeruaturos putauerim, qui ex inſtituto tanti iacturam ſubire audent beneficii. Eo autem vſque munditiei proceſſit abuſus, vt longam alere comam, dedecori pene ſibi nunc ducant femellarum fere dixerim

d) OVIDIVS *Amor. Libr. III. Eleg.* 4. e) Id. *Amor. Libr. II. El.* 14.

rim omnes, vel certe quamplurimae, Venerem caluam imitaturae *f*), cuius, quamuis faciem, pulchrioremque habitum non omnes se referre, et eadem formae amoenitate superbire posse, sciant, caluitiem tamen aemulari, ne prorsus filiae degeneres dici possint, allaborant. Quam proin olim in luctu rasam legimus comam, nunc luxus gratia abscindi, conspiciunt sequiora tempora *g*). Videretur profecto PETRONIVS hic vocandus iudex, quem, hac capitis parte perdita, ipsum perire debere caput, iustissima sententia decreturum, nullus dubito. Verum, non nisi a tribunali medico, quamuis non adeo dura, dictanda erit poena, vel monitorium potius, non omni fundamento destitutum, interponi debebit, et damna enumerari, a peruersa hac consuetudine, citius quandoque, quam putatur, expectanda, et tanto cautius euitanda, quo difficilior, consuetudini in alteram naturam degeneranti, opponenda semper deprehenditur medela. Facillime autem hic intensioribus capitis doloribus viam sterni, nonsolum facili negotio diuinare licebit, sed et quotidianae comprobant querelae, quibus a caluis hisce medicorum aures defatigantur. Etenim, si quae est corporis nostri pars, quae calore quoque indiget externo, sane caput erit, quod ipsa natura, nihil vnquam frustra suscipiens, eo loco non sine ratione capillis tegendum voluit, quo ipsi frigoris damna, maxime inimica futura praeuidebat, cuius poros nullo modo constringendos et obstruendos, ipsa suadet, quam in capite quoque conseruare decet, liberior transpiratio. Inde nempe est, quod non solum cerebrum, dura caluaria tectum, a violentia quauis grauiore munitum sit, sed et capillorum densa series, ipsius calori conseruando, vel certe externo frigori arcendo, inseruiat. Has naturae leges, et prouidam curam, proprio violare citra rationem ausu, non nisi temeritatis erit indicium, adeo, vt capillis suis priuata capita, non nisi grauiora inuitare possint mala, eo citius irruptura, quo liberior ipsis paratus est aditus

tus

f) LACTANTIVS *Libr. I. cap. 20.*

g) PFEIFERVS *antiqu. Graec. Libr. IV. cap. 47.*

tus pro impetu ſuo exercendo, quem capillata intercipere poterant capita, quae, cum non raro variis quoque expoſita ſint incommodis, eo certius nobis ſuppeditant argumentum, de eorum damno iudicandi, qui caluitie delectari cupiunt. Imminutam vero tranſpirationem, non poteſt non interceptus et retardatus ſanguinis et humorum fluxus, vaſorum preſſio, extenſio, et exin pendens ſtagnatio ſequi. Stagnationem autem, multis et doloroſis, et periculo non carentibus inſultibus morboſis largiſſimam ſuggerere occaſionem, ex ſcholis pathologicis conſtat, cuius diſcrimina, hoc munditiei incauto genere, magno nimis ſibi emunt pretio, quotquot Myconios caluos ſtudioſe aemulantur. Et, ſi benignius quoddam expectaturos fatum credamus, ſane varii generis confluxibus, et decubitui catarrhoſo pronam parari viam, eo minus dubitandum, quo certius coniicere licet, acrium et ſeroſorum pariter, ac pituita multa mixtorum humorum ad cerebrum delatorum, affluxum impediri, quo minus libere et absque moleſtia euacuari per ſua poſſit emunctoria, adeo, vt hac opportuniore via praecluſa, ipſis vel cum impetu exitus tentandus ſit, vel ſtagnatio, non plane omni periculo deſtituta, metuenda, quae, quo grauius adultiores vrgere ſolet, eo maius adhuc detrimentum tenerioribus et iunioribus ſubiectis parat, quae hiſce prauis moribus a prima iamtum aetate imbuta, citius quam debebant, aut poterant, aegrotare diſcunt, quare et hi

pulli, nati infelicibus ouis h),

eo magis ſunt deplorandi, quo maturius, inuiti, ſanitatis ſuae patiuntur diſpendium, in ſenectute, ſi modo eandem aſſequuntur, vberrime dolendum. Vnde eſt, quod de viſus hebetudine et defectu, de oculorum lippitudine, auditus grauitate, aliisque ſexcentis moleſtiis conquerantur plurimi?

Quod ſummum formae decus eſt, cecidere capilli,

quos, quaſi lege quadam, ne alantur, prohibitos fuiſſe, credas, quam olim equitibus datam, PFEIFFERVS ſupra citatus refert,

 quem-

h) IVVENALIS *L. V. Sat. XIII. 142.*

quemque morem saltatoribus fuisse solennem, CICERO testatur *i*). O felicissimos homines! qui senectutis suae iam tum memores, eiusdem post plurima lustra demum venturae symbolum, in caluitie praematuriore, quotidie secum gerunt. Verum, videor mihi iniquius paulo sentire, probe memor, non omnem perire comarum in capitibus delicatularum prouentum. Supersunt quippe quaedam, pauca tamen earundem vestigia, quorum terribilem et strigosum habitum calamistris emendare opus est. Fabri ferrarii credideris ingredi tabernam, femellarum conclauia, et munditiei sanctuaria introgressurus; horreres, et tot ferramenta, comis crispandis destinata, pyxides, et rerum mille colores, folles, pulueri cyprio aspergendo adaptatos, vnguentaria, forcipes, carbones, saeuas nouaculas, capitibus nudandis aptas, operationis cuiusdam crudelioris praenuncias esse, autumares. Veruntamen, procul absit omnis metus; pectuntur, voluuntur in orbem, flectuntur hisce calamistris a cinistonibus crines, vnguntur, detondentur, vt

supercilio breuior coma k)

reddatur, in quo munditiei genere haud obscure forsitan religionis quaedam deprehendere possis vestigia, dum, quod olim Iudaeorum genti, et mulieribus praecipue interdictum erat, et dedecori ducebatur, Christianis nunc, hac quoque lege sublata, licere, ostenditur. Irreparabile vero hoc damnum esse, vix quisquam negabit. Crines quippe nunquam ad pristinum redituros esse incrementum, vel ex ea credere poterimus ratione, quod longam satis temporis seriem, huic iacturae resarciendae impendendam esse, praesciamus. Verum, qui fieri posset, vt in tam anxia et diuturna expectatione femellae viuant, et a societate omni praeclusae, domi, capillorum alendorum causa, vitam agant solitariam, non sine taedio ducendam? Dum proin impossibile, vel certe durum quid praeuidemus, an peruersi huius cacoethis speranda sit tandem emendatio, arduum sane erit determinare. Quanto magis enim MARTIALIS tempore, cal-

i) In Orat. *post reditum.* *k*) IVVENALIS *L. I. Sat. I. 15.*

caluitie sua exosae credebantur femellae, tanto magis nunc amatoribus suis hoc habitu placere videntur *l*).

§. IV. Nec et anterior pars capitis, quae facies dici solet, munditiei affectatae plane expers dicenda erit, quae, cum omnium pateat conspectui, eo maiori quoque studio nitidior putatur reddenda, quo maiori in pretio semper formosior habitus fuit vultus. Habebunt hic formosiores puellae, de quo gaudeant, quae pulchritudinem, non factitiam aut aliunde adscitam, vultui suo a natura inscriptam, nec vllo artificio conciliandam vel emendandam, sibi proprio quodam iure vindicare, et hoc sibi beneficium gratulari possunt, quo fit, vt nullum ipsis, in genis pingendis, tempus et operam consumere, necessum sit. Sed, sunt et infeliciores, quibus fatum quoddam acerbius nitidiorem denegauit cutis habitum, et, quae vultum deformiorem in speculis, optimis consultoribus conspicientes et despicientes, huic vtique malo medelam parandam esse, moneri videntur, hae quippe *Faciem fuco obducere, damnosum.*

munditiis annorum damna rependunt,
Et faciunt cura, ne videantur anus,

sicque cerussatam faciem, naturali praeferendam iudicant, lecythum in malis habere, nullo sibi ducentes dedecori, mortalitatis suae quotidie memores futurae, etenim,

Quae pictas geritis facies, vos iure potestis
Dicere cum Flacco, puluis et vmbra sumus m).

Quod si paulo curatius moris huius varietates et originem persequi placeat, neutiquam nostris demum temporibus hanc deberi consuetudinem, patebit, quam ab antiquissimis potius seculis, ad nostrum aeuum propagatam, inter artes deperditas minime referre licet. Vti enim luxus et voluptatis genio quaeuis semper ducebatur gens, ita et pro cuiusuis ingenio, huic malo auxilium quaesitum fuisse, constat, et quamuis triplici tantum modo olim praecipue faciem fucare, solenne fuerit, hodienum tamen, postquam crescentibus ingeniis, inuenta quoque creue-

l) MARTIALIS *L. II. Epigr. 33.* *m*) OWENVS *L. I. Epigr. 90.*

re, innumeris varietatibus eam a vanitatum amatoribus pictam, cernimus. Olim quippe *purpurissa* genis et labiis rubor inducebatur, *cerussa* ori et collo dealbando inseruiebat, *stibio* vero oculi pingebantur, iisdemque niger comparabatur color, quod munditiei genus ipsi gentiles inter muliebris lasciuiae ponebant testimonia, qui *faciem lauacro macerare*, *et medicaminibus interpolare*, turpe ducebant *n*). Graecis hunc praecipue morem fuisse virginibus, AELIANVS testatur, καὶ ἦσαν, inquiens, διαπεποικιλμέναι τὰ πρόσωπα ἐντρίψεσι καὶ φαρμάκοις, *et faciem, coloribus ac medicamentis pictam habebant o*). Et, quid nostris dicturus esset temporibus, quibus non tantum pictas, sed et incrustatas, et paene tumentes facies conspiceret, quae,

facies dicantur, an vlcus p),

incertum diiudicatu fore, arbitror. Taceo plures, munditiei huius affectatae modos, cum ex his, damnorum satis ad facies cerussatas redundare queat. An vero pulchrae satis sibi videantur hae mulierculae, vix credere quemquam posse, putauerim. Non enim tam hebes visu quisquam erit, quin fictam prae naturali dignoscere valeat formam, cum et insuper, sudore paulo largius prorumpente, si modo tandem prorumpere in quibusdam potest, vera redeat deformitas, faciesque assimilata, fraude hac sponte detecta, pereat, vel frigore vrgente, quo tempore alias pallere videmus, constans faciei rubor, doli hic quid subesse, manifestet. Quid vero inde aliud sibi polliceri poterunt hae artifices, nisi eo maiorem deformitatem, breui subuenturam, ob cutis poros, polline antehac largius obductos et obstructos, nunc praematuram rugositatem contracturos, vt proin cutis, omnis postmodum fuci impatiens, eo strigosiorem prodat habitum, et annosiores merito credi possint, quae in vegetiore adhuc erant aetate constitutae, rugis deturpatae, lividae,

n) Vid. SPANHEIM. *de praestantia et vsu numismat. antiqu.* p. 372.

o) Libr. XII. 1. Consulere iuuabit de pigmentis faciei variis, et summe nociuis, Excell. PLATNERI Progr. *De pallore, per aduersam valetudinem quaesito*, Lips. 1739. editum.

p) IVVENALIS *L. II. Sat. VI.* 472.

vidae, pallentes, giluae, artis ſuae imprudentius tractatae veſtigia, omnium aſpectui et deſpectui expoſita gerentes, eo maiore dignae riſu, quo citius id, quod metuebant, et quauis arte auertere ſtudebant, ipſis eueniſſe, intelligitur. Inter munditiei ſpecies, huic quoque corporis parti dicatas, non praetermittendus erit dentium habitus. Rubigine quippe exeſos, piceos, buxeosue dentes ore aperto monſtrare, negligentiae in dentibus mundificandis haud obſcurum prodit teſtimonium; etenim et hic haud parum curandum, vt flauedini, cariei, et foetori oris, non raro abhinc pendenti, obuiam iri poſſit. Quod, vti ſaepiſſime ſolius aquae frigidae, vel foliorum Saluiae, vel ſimpliciorum puluerum dentifriciorum ope impetratur, ita et eo maiori iniuria affici dentes, facile colligi poterit, vbi vel nimia gingiuarum frictione, vel acriorum et rodentium puluerum et liquorum abuſu, laxitas, vacillatio, ſcabrities et ſtupor dentium, exulceratio et cruentatio frequentior gingiuarum, non absque doloribus admodum ſenſibilibus excitantur, vnde non ſolum loquelae, ſed et, quod maximum eſt, manducationis negotio graue ponitur impedimentum, imo et oris venuſtati haud parum detrahitur. Neque benignioribus fatis obnoxios futuros dentes, credendum, vbi inſtrumentis ex metallis praeſertim ignobilioribus paratis, ſaepius ſcalpantur, et a peregrinis, intra interſtitia haerentibus particulis repurgentur. Damnum quippe dentibus, nunquam renaſcentibus, ſemel paratum, nunquam a natura reſarciri, quodque edentulis arte reparatur, magis deformitati annumerandum eſſe, vlteriore non indigebit deductione.

Dentium incauta repurgatio.

§. V. Proxima a capite ad pectus eſt via. Et, quid quaeſo, magis decebit hominem prudentem, ſanitati ſuae ſerio conſulturum, quam eam ab omni iniuria defendere ſedem, quae cordis et pulmonum eſt domicilium, in cuius cauitate reſpirationis liberioris proſpectum eſt negotio, quam ſartam tectamque ſeruare, nemo non cupit, a cuius incolumitate, maxima ſalutis pars pendere videtur, et quae, cum a ſapientiſſimo artifice

Nudo pectore ingredi, probroſum.

fice osseis munimentis, musculisque et membranis tecta et cincta vndiquaque haud frustra fuerit, non nisi summa cum temeritate innumeris exponitur calamitatibus. Indignos sane tanto beneficio mortales! qui eiusdem immemores, munditici perversa libidine seducti, liberioris, quem trahere poterant, spiritus iacturam, pessimo vitio subire tentant. Liberrime autem sese hic femellarum offerunt, non nudanda prius, sed palpanda statim pectora, quibus tam

rara est concordia formae,
atque pudicitiae q),

vt plurimas earum, ipsa non visui tantum, minus forsan iuuaturo, sed et vsui exposuisse credas, et macella haec ambulatoria, non per somnium, sed satis aperte conspicienda, mirari possis. Neque vero hoc voluptatis aestiuo tantum tempore tibi concessum opinaberis, contra cuius calorem Poëtae consilium excusationis loco opponitur,

Iulius ardet
Aestuo, nudus agas, minus est insania turpis r),

sed et, quamuis

tempore brumali non multum leuia prosint,

nihilo tamen secius, quae verecundia et sanitas tecta voluerunt, frigori etiam intensissimo, exposita esse, vel certe leuissime velata, nemo est, quin quotidie conspiciat, et tales

nudas humero, nudisque mamillis s)

incedentes Psecades detestetur, quae, dum ita per plateas incedunt, vix tremulis possunt insistere plantis. Tam dirum quis credat esse posse fatum

partibus illis,
quas sinus abscondit,

vt a puellis, quae muliebris pudicitiae leges accepere, adeo negligenter curentur, neque et loca sanctiora sint, ad quae non hoc cultu accedant, neque sit vllum,

in

q) IVVENALIS *L. IV. Sat. X. 297.* r) IDEM *L. I. Sat. II. 70.*
s) IDEM *L. II. Sat. VI. 490.*

in quo non proſtet femina, templum,

quae, dum oculis puriſſimi numinis humilitate et caſtitate placere debebat, hominum potius in ſe conuerſos cupit oculos, et

animam praeferre pudori

dum negligit, gaudia haec inepta, doloris certiſſima fore principia, parum attendere videtur. Non tamen ſolis femellis hanc peſſimam conſuetudinem ſolennem eſſe, reputandum, quae quadam, quaſi proprio auſu ſibi data lege veſtiaria, ſeminudae incedere geſtiunt, quin potius ſexum quoque potiorem tam eſſe effeminatum, vt nuda monſtrare pectora, inter munditiei delectamenta ponat, fateri profecto erubeſco. Et, quamvis maior iſta voluptas alterius ſit ſexus, nihilominus turpi complacendi ſtudio, haud paucos virorum eo vſque mollitiei deferri conſtat, vt et vitia ipſius imitari, iucundum ducant, atque ſuis ita vtantur veſtibus, vt miſelli corporis nuditas, omnibus potius modis occultanda, eo probroſior euadat, adeo, vt praeter virilem ſexum, quem, ſi et poſſibile eſſet, abnegarent, virile nil ſupereſſe videatur. Verum, quid quaeſo commodi, hi malorum praenuncii pollicebuntur? Non niſi laborioſiſſimum ſuſciperetur opus, in omnibus, ab hac praua conſuetudine oriundis damnis, modo nominandis, nedum ſigillatim exponendis, nihilominus tamen de eorum aduentu dubitare velle, aeque foret incongruum, ac cauſam omni effectu deſtitutam ſibi fingere. Et, quid eſt, quod magis corporis noſtri ſtructurae et conditioni inimicum eſſe queat, quam frigoris iniuria, cuius impetu, dum rigiditas partibus contrahitur, easdem ad functiones quascunque demum feliciter abſoluendas, non ſine ſenſibili incommodo ineptas reddi, ſaepe ſatis experimur. Neque aeſtiuo forſitan tempore, minus noxium reputabitur frigus, quin potius, triſtiſſima vtique ſui abuſus tunc quoque monſtrare ſolet veſtigia. Quo enim patentiores per aeſtatem ſunt pori, eo liberius quoque tranſpiratio, nec vnquam impedienda, nec, ſi modica ſit, niſi ſalutaris futura, partium aequilibrio conſer-

vando conducere poterit, quem ſtatum ſanitatem nuncupamus. Haec videlicet eſt naturae benignioris prouida perpetuaque cura, qua per diapnoes negotium, abundantiae lymphae, corpori noſtro tam quantitate quam qualitate oneroſae futurae, conſulitur, vt oſtiolis millenis, in euacuationis ſeroſae finem continuo apertis, ſufficiens vaporis ſubtiliſſimi portio, quotidie expulſa, ſtagnationibus, tumoribus, inflammationibus, idque genus aliis noxis obicem figat. Hac ſiquidem ratione, viſcera et vaſa a preſſione liberantur, non niſi moleſta, imo ſumme periculoſa tandem ipſis futura, vbi ſuperflua humorum copia, in corpore incaſſum detenta, et pertinacius ibidem haerens, ſemperque nouo affluxu adaucta, fixum ſibi quaerere intenderet domicilium. Quid enim quaeſo in morbis continuis, exanthematicis, ſpaſmodicis, etc. magis optamus, quam vt diaphoreſi benigniore, ſiue arte, ſiue naturae beneficio excitata, cauſa morbifica ſoluta, extra corpus propellatur, et morbi diſcrimen auertatur. Quo naturae molimine, ſponte, vel ſtudio impedito, a poris, frigore intempeſtiuo obſtructis, non poterit non violentiae huius improuidae, ſenſibilis ſatis ac doloroſus, ad corpus redundare effectus. Retropulſa vero hac materia, excretioni deſtinata, quid mirum, ſi praecordiorum anguſtiae, aſthmati, ſpaſmis, rheumatiſmis, tumoribus oedematoſis, inflammationibus, via pandatur? quorum malorum lenta ſatis, nec ſine magno labore impetranda poſthac, expectari poterit correctio.

Abuſus circa thoraces,

§. IV. Age, aliquantulum adhuc hic commoremur, non quidem aſpectus forſitan amoenitate capti, ſed munditiei nociuae aliam ſpeciem diſquiſituri. Non enim a ſolo frigore, femellarum praecipue pectora, haud leuia contrahere damna, ſed et non minorem a nimia conſtrictione ſuſtinere violentiam, deprehendemus. Quam proin in facie incruſtanda, quaeſitam dixi formoſitatis ſpeciem, non ſine ſummo tandem detrimento impetrandam, tantum non pauciſſimis ſufficere, vt potius in pectore et abdomine, vltra modum gracili reddendo, aliam

aeque

aeque damnoſam, priori iunctam cernamus, quotidianis edocemur factis. Annum eſuriiſſe putes, corpora talia, thoracibus incarcerata conſpecturus, quae, vti in prouerbio eſt, acum fere tranſire poſſint. Haec eſt ea, qua ſapientiſſimi artificis fabricae, ſumma iniuria infertur, pertinacior correctio, qua corpus, quod ab omni preſſione creauerat liberum, faſciis, ligamentis, ferramentisque ſubigendum malunt mulierculae, quam partium liberioribus, a natura conceſſis functionibus, frui. Vnde, qui victu tenui, aquae potione, aut quocunque demum modo, non impediri poterat obeſior habitus, inter deformitates merito ponendus, arte alia, et vi tandem, quamuis non ſine ſummo incommodo, erat impetrandus. Neque, qui vtero geſtatur foetus, huic mori obicem ponere poſſe videbitur, adeo, vt dulcia haec onera, palam gerere, dedecori fere eſſe putetur, quibus anguſtum iamtum ſatis, quod occupant domicilium, conſtrictione tanta arctius redditur, liberiorisque motus opportunitas indecenter praecluditur. Improbanda haec, munditiei imaginariae magis quam verae ſpecies, quo magis pernicioſa vtique eſt, eo diligentius quoque praecauenda erit, neque vllius excuſationis vano pallianda praetextu. Quid enim quaeſo, commodi ad corpus tantopere coanguſtatum redundare poſſe, credent mulierculae? an non vel ſponte ſua patet, liberiori reſpirationi omnem praereptam eſſe viam, vnde et viſcerum compreſſione violentiore, et humorum, per eadem circulantium, impedito curſu, non niſi ſtaſibus tam ſeroſis et ſanguineis, quam flatulentis, et exin pendentibus damnis largiſſima ſuggeritur occaſio. Vnde et eſt, quod nutritioni non leue inſimul ponatur impedimentum. Vel enim ab alimentis, ſiue ſolidis, ſiue fluidis, ſufficienti copia aſſumendis, plane abſtinendum, vel parciſſime vtendum erit, niſi dolorum grauatiuorum, nauſeae, vertiginis, imo vomitus incurrere placeat metum, vel, ſi quando largioribus indulgeatur epulis, praeter iam dicta incommoda, omne, quod ventriculo, cibis concoquendis et ſubigendis dato, incumbebat negotium, robore eius intercepto, cohibetur,

 vnde

vnde et, inteſtinorum motu ſegnius progrediente, parcioreque chyli copia elaborata, non niſi cruditatum reliquiis, variorum morborum foecundis cauſis, locus conceditur, excretionumque functio non parum dehinc infringitur. Hinc non eſt, quod mireris, ſi menſae aſſidentes femellas, pallentes, nauſeantes, et vertiginoſis affectibus aliquando quantocyus correptas conſpicias, quibus illico conſulere poteris, ſi modo, quod nimium conſtrictum erat pectus et abdomen, relaxaueris. Quod, vti foetum non geſtantibus minus proficuum eſt, ita et eo magis probroſum et noxium iis erit, quae moli tantae, vtero incluſae, et interiores partes, ſe et excretioni deſtinatas, ſatis iamtum prementi, externam ſuperaddunt coarctationem, eo periculoſiorem futuram, quo magis damnum, tenello hoſpiti, tantae violentiae ſuſtinendae minus pari, illatum, ob cauſas, antehac iamtum indicatas, matribus quoque funeſtum eſſe poteſt. Adeo vero a veterum temporum genio multas abeſſe matres, quis non doleat? quae quippe foecunditatis felicitate, vna cum ſanitate ſeſe malunt deſtitutas, quam vt Metelli ad exemplum, maritos, eadem qua ille, gaudere velint proſperitate, quem vel ea de cauſa felicem a romanis praedicatum fuiſſe legimus, quod vxorem, foecunditate et pudicitia conſpicuam, ſibi duxerit *t*). Quis non imprudentiores tales mulierculas ferula iudicabit dignas, quibus romanae olim femellae ad ſterilitatem arcendam vtebantur *u*), noſtrates vero, caſtigationis loco, vt foetibus parcere diſcerent, opus haberent.

praecipue in grauidis culpandus.

Puerperarum errores.

§. VII. Haec de grauidis. Liceat nunc inuiſere puerperas, auratis lectis detentas, ibidemque non tam, vt vires, quas pariendo perdiderant, reficiant, quam, vt omnium in ſe potius rapiant aſpectum et admirationem, iacentes, quae, quanto minus munditiei intempeſtiuae metuunt damna, tanto grauiora non raro incommoda ad lectos ſuos inuitant, ſecuritatis ſuae meritas poſtmodum daturae poenas. Calore leni quae a puerperis

t) VALER. MAX. *Libr. VII. Cap. 1.*

u) Plura hac de re habentur in ROSINI *Antiquit. rom.*

peris fouenda erant corpora, variis potius liberioris aëris exponi iniuriis, non eſt, quod anxie probare tentem, cum quotidianis exemplis de moris huius peruerſi veritate conuincamur. Neutiquam ab eorum ſententia me ſtare velle, credendum, qui adeo intenſo et nimio aeſtu ſtragulorumque copia miſellas torquent puerperas, vt omnibus fere, cum ſudore, viribus exhauſtis, ſummis praecordiorum anguſtiis vexentur, exaeſtuationem ſanguinis commotam, ſitim immoderatam, imo purpuram excitatam, et quae ſunt alia grauiora ſymptomata, aegerrime ferant, cum potius moderato regimini obſeruato, ſuam relinquendam eſſe laudem, et bona quaeuis, vbi corpora prudenter fouentur, ſperari poſſe, ſciam, nimiam tamen refrigerationem non poſſe non ſumme euadere pernicioſam, certis argumentis praeſagire potero. Deuenio autem praeprimis ad frequentiorem, et minus apto tempore inſtitutam linteaminum permutationem. Squallida, ſordibusque obducta, quemuis dedecent hominem, modo paullum a plebe remotum, veſtimenta. Verum, et hic modum teneat oportet, ſanitati ſuae tunc praeprimis conſulturus, vbi ab aëris irruentis vi, non ſine ratione metui quid poteſt. Et varii ſunt quidem morbi, nunc metuendi, nunc praeſentes iamtum, qui, quo magis ſollicite tegendum et fouendum poſtulant corpus, eo maiora quoque incrementa capiunt, dirisque intenduntur exacerbationibus, vbi et hic negligentiae cuiusdam peccatum fuerit culpa. Exanthemata varia, morbilli, variolae, petechiae, purpura, hisque ſimiles affectus, quo magis aegris, et quandoque infantulorum teneriorum praecipue corpuſculis periculum minantur, eo cautius quoque curandum, ne aëris quaedam mutatio nociua, iisdem retroceſſionem imperet. Inter voluptatis tamen et luxus ſpecies, praecipue puerperarum plus iuſto inueterata conſuetudo hic cenſuram meretur, quibus, cum ſaepius camiſia et lectorum indumenta mutare placeat, non omni plane periculo haec oblectamenta vacare poſſe, crediderim. Sudorem autem paulo largiorem, et per aliquot dies durantem, non raro ſo-

 lennem,

lennem, imo quam maxime puerperis proficuum, interque naturae beneficia merito ponendum esse, neminem latet; hac quippe ratione humores, vario modo concitati, liquescunt, dissipantur, resoluuntur, orgasmo sanguinis obex ponitur, et, quae ad poros cutaneos deponitur excretio, innumeris malis auertendis commoda euadit, sicque morbi grauiores vel auertuntur, vel et imminentium praesentiumque violentia infringitur. Quo magis vero salutare hoc naturae molimen ambabus amplecti manibus, eiusdemque continuationi omni modo promouendae inuigilare decet, tanto durius peccant, qui eidem impediendo, et ex instituto turbando omnem nauant operam. Ipsa saniora et robustiora corpora, haud raro satis grauiter laedi experimur, quando transpiratione, quacunque de causa intercepta, eadem subito languescunt, doloribus artuum, aestu, angustia praecordiorum, et id genus incommodis diuexantur, adeo, vt hac turbatione excitata, et transpiratione quouis modo, vel sponte, vel ex instituto cohibita, de morborum imminentium aduentu, iamtum HIPPOCRATES *x*), ex lassitudine sponte oborta, iudicari posse statuerit. Pororum vero cutaneorum, antehac patulorum obturationem, non facilius, quam linteaminum frigidiorum crebra permutatione aduocari posse, eorundemque reserationem haud leuem suppeditare medicis laborem, frequentiore constat experientia. Huic prauo mori si remedium ponere, ipsique munditiei adeo deamatae, quodam modo consulere placeat, calidiora lintea, et frictiones lenes suadendae erunt, sic quippe rem melius, et ex voto successuram, nullum sudoris excretioni positum iri impedimentum, quin potius sufficientem eius eruptionem promoueri posse, certiore sperandum erit fiducia. Atque non quidem solummodo mulieribus, quibus puerperarum demandata est cura, eo est inuigilandum, ne hac ratione quidquam peccetur, aut intempestiuis femellarum desideriis mos geratur, sed et medici interponendam esse saepius, apud immorigeras praecipue autoritatem,

x) *Sect. II. Aphor. 5.*

tem, neceſſitas, et pericula haud leuia imperant, quae, quanto citius vel exigua de cauſa impetum moliri ſolent, tanto facilius quoque, et absque multo quidem labore, monitis his obſeruatis, euitari poterant. Idem valebit monitum de vitando e lecto ante tempus egreſſu. Neutiquam enim turpe reputabitur, neque inter immunditiei numerabitur vitia, puerperam, cui corporis habenda vel maxime erat cura, intra lectum per aliquot dies adhuc detentam deprehendi, cum ſanitati vtique plus, quam ſocietati, confabulationibus, luſuique ſit dandum, ipſeque intempeſtiuus e lectulis exitus, eo citiorem non raro ad eosdem imperare ſoleat regreſſum.

§. VIII. Sed, paullum adhuc commoremur intra conclavia, aliamque eorum miremur munditiem. Nitida ſane haec videbimus, auro, oſtroque fulgentia, fere regia, omnis generis ſupellectile ſuperbientia, atque poſſeſſorum diuitias pleno apparatu oſtentantia. Verum et hic morborum acceſſui non praecluſa eſt occaſio. Saepius lauanda ſunt pauimenta, adeo, vt famularum manibus, labore hoc doloroſo tandem, praeter neceſſitatem reiterato, defatigatis, lixiuio maceratis, callo denique obductis, haec munditiei ſpecies non poſſit non ſumme eſſe oneroſa, ipſasque tandem ad alia domeſtica officia, grauiora forſitan futura, peragenda, prorſus reddere incapaces. Neque poſſeſſoribus ſua deerunt damna. Taceo ipſorum pauimentorum deturpationem, et fiſſuras, lignis frequentiore hac lotione inductas, cum damna oeconomica hic recenſere velle, non ſit animus, ſed potius praeprimis conclauium horum vix ſatis exſiccatorum, inhabitatio ſummopere nociua, hic commemoranda veniat. Quid autem lubentius optabimus, quam vt aëre fruamur liberiore et puriore, quid quaeſo magis noſtris conducet corporibus, quam particulas leuiores, et peregrinis moleculis parum inquinatas, inſpirando haurire, minusque impedita vti pulmonum actione, quibus preſſis, et fuliginibus teterioribus oneratis, ſenſibilis admodum conciliari ſolet moleſtia, cum tenerum hoc viſcus haud impune irritare liceat. Annon hinc potius

Conclauium munditiies noxia.

potius variis pectoris morbis, et malis, pulmonum functioni infensis futuris, hic plenam sterni putabimus viam? annon capiti tetrum talem odorem, et spurca haec aëris inquinamenta, inimica satis futura, metuemus? Cephalalgiam, vertiginosos insultus, tussim, grauedinem, si nominauerim, leuiora adhuc crediderim commemorasse mala, a causa, adeo speciosa visa, pleno fonte propullulantia, cum ab his ad grauiora incommoda, facillimo modo calculum duci posse, quilibet praeuideat. Eadem de causa, frequentiores parietum dealbationes minus approbandas esse, haud difficulter coniici poterit. Odor sane calcis, aliorumque pigmentorum, de messe Sabaea haud profecto prouenien̄s, atque sensorium olfactus praecipue, moleste satis feriens, huic si non tandem plane abolendo, certe grauissime turbando, commodissimam suppeditat occasionem, praecipue, vbi pigmenta, oleo cocto mixta, vti nunc moris esse solet, foribus et conclauibus saepius inducuntur, vt nihil commemorem de aulaeis, auripigmento, aliisque foetentibus coloramentis obductis, quae, vti non raro per plures annos, nisi arte huic foetori occurratur, aërem conspurcare solent, ita et eo certius insignibus molestiis prouocandis, admodum commoda euadunt. Ast, huic incommodo aëris perspirabilis transitum, medelam ponere posse, obiici audio. Sit ita, sed quis nescit, vix paucis diebus elapsis, huic foetori corrigendo nunquam sufficientibus futuris, conclauia iterum occupari, imo tunc adhuc pro aëris liberioris perspiratione promouenda, fores fenestrasque aperiri, sicque alio quoque modo corporibus summam inferri iniuriam, pronumque in Scyllam parari delapsum, vbi de Charybdeos cogitabatur euitatione.

Calceorum angustiorum incommoda.

§. IX. Transeundum iam erit ad pedes, atque, quae fata has quoque partes expectent, paucissimis dispiciendum. Turpe vero semper reputatum fuit, si male laxus in pede calceus haereat, neque quisquam immunditiei facile effugiet vitium, qui hic negligentiore cultu incedere, commodum duxerit, cum et hanc corporis partem, quae liberius ab omnibus conspicitur,

bene

bene colendam honeſtas ſuadeat. Neque tamen proin, ad alterum extremum declinantibus, variae reticendae ſunt moleſtiae, quae eo quandoque ſunt grauiores, quo magis eo eſt allaborandum, vt membris, quibus tota corporis moles ſuſtinenda concredita eſt, omni modo ſua conſeruetur firmitas. Quantum enim ſit incommodi, hac aegrotare parte, ſumma cum moleſtia percipiunt claudi, podagrici, arthritici, qui, dum corporis machinam fundamento debiliori innixam, non ſine taedio ſentiunt, omnibus modis ſolamen auxiliumque petunt, ſuaeque ſaepius culpae, qua varias ſibi contraxerunt moleſtias, non ſine dolore memores, ſera tandem poenitentia corripiuntur. Quo vero magis miſerorum horum deplorandam dolemus conditionem, eo maiori reprehenſione dignos quilibet iudicabit, qui improuida quadam violentia, fulcro ſuo infirmando haud vnam ſuppeditant occaſionem. Et, quis credat, in dolore et conſtrictione pedum, adeo ſollicite voluptatis quaeri poſſe ſpeciem? adeo, vt fere Chinenſium morem imitari velle videantur etiam mares, qui, quod illi puellis neceſſitatis, anguſtorum calceorum a tenera infantia applicatione iniungunt, vt ab excurſionibus abſtinentes, vitae domeſticae et rei familiaris curae magis aſſueſcant, contraria prorſus de cauſa, vt nitidioribus pedibus, dum frequentius per plateas deambulant, incedant, ſuſcipiunt *y*). Calceamentorum vero anguſtiorum vſus, non poterit non muſculorum, tendinum, vaſorum, oſſiumque, extremum pedem conſtituentium, ſummos producere dolores et preſſionem, cum preſſionem omnem dolor quoque preſſo ſequatur pede, quare et, incarceratione hac violenta, et vix excuſanda, nimium repetita, imo quotidie continuata, ipſe liberior partium inferiorum motus interceptus, et humorum ad easdem tendentium curſus impeditus, quosuis incongruos et aegre ferendos metuere iubebit effectus. Inde eſt, quod cute ſtrictius

y) Huiusmodi calceamenta, apud Chinenſes in vſum tracta, inter rariora aſſeruantur in *Horti Boſiani ſupellectile rerum naturalium et artificialium*,

ſtrictius coërcita, humorumque transgreſſu turbato, claui pedum, punctorio ſuo dolore calceorum anguſtiam accuſent. Multo minus ab intumeſcentia pedes liberos euaſuros, reputandum, quae, vti non raro quauis alia de cauſa ſatis cito, ob humorum ad inferiores partes pronum facilemque prorſus decubitum, incrementa capere ſolet, ita et nunc eo facilius ad vim ſuam exercendam excitatur, quo minus humorum decurſui liberior conceſſa fuit via, quam ex naturae legibus, iuſto robore et quantitate abſoluere debebant. Quo diutius vero et lympham et ſanguinem in pedibus ſtagnantem, praua hac conſuetudine collectam, et indies auctam, ſuo includere domicilio placet, eo maiori quoque cum labore diſſipationem, et hoſpitis minus grati expulſionem tandem ſuſcipi, nemo erit, qui ſecus ſentiat. Quilibet quippe humor, ſtagnando craſſior, acrior, et ſegnior euadens, et obſtructioni aptior redditus, parietes vaſorum expanſorum, in quibus non ſine dolore, ad rupturam tandem non raro continetur, ſuo tono priuat, neruos rodendo immenſos cruciatus excitat, muſculosque premendo, tam motui quam ſenſui vitiando, magis magisque euadit idoneus. Alia inſuper non minoris periculi res erit, pedes aëri frigidiori intempeſtiue exponere. Qui enim per extrema frequentior non raro eſſe ſolet ſudoris prouentus, hac ratione occluſus, ſtaſibus, doloribus immodicis, imo tandem inflammationibus proliciendis, apprime conueniens eſſe valebit. Quamobrem et vice verſa pediluuiorum vſum, quem ad orgaſmum ſanguinis excitandum, humores magna nimis copia deriuandos, et vaſa inferiorum partium ſtimulanda et dilatanda, admodum commodum eſſe, nemo ignorat, vbi minus caute, et copioſius inſtituatur, ſuis quoque periculis non deſtitutum iri, certo certius credendum. Quid, quod praeprimis in ſequiore ſexu, huius munditiei abuſus, vltra modum celebratus, haemorrhagiis vterinis promouendis non ineptus cenſeri poſſit.

Intempeſtiva circa

§. X. Vti vero temperantiam iuſtam et licitam, omni tempore abunde nouimus commendatam, neque vnquam vitam

tam Crispini, sapiens quisquam, et sanitatis conseruandae cupidus, vel viuere cupiet, vel imitatione dignam iudicabit, cum luxui et gulositati dicam merito scribere deceat; ita vicissim ab eorum nihilo minus parte stare non conueniet, qui, ne immoderati nimis videantur, stomacho suo nouercari cupiunt; pallidique, ac vix, et ne vix quidem satiati, lubentius de coena surgere amant, quam, vt debita alimentorum quantitate assumta, corporis nutritioni prospiciant. Sit autem et hic modus in rebus, certique fines vtique cibo potuique poni poterunt, ne, victus summe necessaria portione parcius oblata, maciei, atrophiae, pallori, nauseae, fores pandantur, dumque quandoque obesitati impedimentum poni creditur, virium quoque insimul, quotidie instaurandarum accessus, vna cum pinguedinis incremento intercipiatur. Absit omnis a mensa pudor nociuus, cum, quae corpus, debito modo conseruandum, sibi poscit adminicula, non sine opprobrii crimine ipsi furtim quasi subtrahantur. Offam vnam alteramue saltem comedere, fere plus satis duri erit hominis, tantillo cibi, latranti stomacho nunquam facturi satis. An vero forsitan obesitati nimiae hic obuiam iri posse credent, qui vltra modum ab alimentis abstinentes, macilenti, et ante diem senes euadere allaborant? Finem equidem, quem peruerso hoc more intendunt, quandoque impetrari posse, haud vnquam dubitabitur, nescio tamen, cur maciem sibi contrahere, cachexia laborare, pallida facie turpem reddi, viresque sensim paulatimque labascentes sentire, commodius ducatur, quam viuido robore, validisque membris, ad functiones cum alacritate subeundas, impigris conseruatis, vitam cum voluptate trahere. Et, quam quaeso ex scholis diaeteticis expectabunt sententiam, quamque graui indigere eos monitorio, reputandum, qui praeter pauciorem, quo frui cupiunt cibum, vix vnum alterumque potus interponunt haustum, et vix, quantum canis fugiens e Nilo bibere fertur in prouerbio, supremis saltem degustant labellis. Qui vero fieri poterit, vt cibi, debito modo humectandi, miscendi, digerendique, sufficientem chyli sup-

victum munditiei.

peditare possint copiam, cum potius potu stomacho denegato, nimia hac siccitate dolores grauatiui, cruditates, nauseaeque, ob alimenta, moram diuturniorem in diuersorio suo nectentia, summa cum molestia suboriantur. Pudeat sane Teutones, maiorum suorum, qui fortitudine non minus quam et potando, gloriam, et perennem sibi conciliabant famam, tam incongrua obscurare temperantia. Verum, potant alii, quibus, vt prudentius bibere discerent, moderatore vtique opus erat. Minime vero hic mihi cum his res erit, qui vini largissima quantitate, et plenis, vt aiunt, cululllis quotidie hausta, crapulam, cephalalgiam, dolores arthriticos, hydropem, et quaeuis alia incommoda sibi contrahunt, dumque in multam salutem potant, nihil minus quam salutarem exin expectare possunt euentum, voto suo responsurum; hanc quippe viuendi bibendique consuetudinem, munditiei annumerare velle, iniustum duco, quamuis forsitan heroes tales, quam in vino veritatem latere putant z), anxie satis quaerendam, inter virtutes ponant, vana tamen inventionis spe se deceptos iri, praeuidere possint. Alii potius succurrunt, qui, dum vini generosioris vires paullum attemperare cogitant, limites transgrediuntur, et nimia copia aquae, mero affusa, omnem ipsius virtutem euertunt. Vti vero ab omni vino, infusa aqua perdito, abstinendum esse, iamdudum prouerbium imperauit, ita et nimia aquae quantitas, hoc modo hausta, debilioribus praecipue subiectis, quibus vini purioris magis commendandus erat vsus, oneri potius esse poterit. Ventriculi enim, et intestinorum fibrae, magis potius firmandae quam debilitandae, non poterunt non perpetua aquae alluuie tono priuari suo, iustumque perdere robur, quod in digerendis alimentis, et egerendis particulis ignobilioribus, saluum et integrum sibi poscunt. Ipsa sanguinea massa, copiosiore particularum aquearum mole nimium diluta, et ad spiritus suppeditandos pigrior reddita, minus nobiles posthac secernere poterit ad viscera partes, quinimo et lentore humoribus inducto, cursui ipso-

z) Secundum ATHENAEVM *Libr. II. paroem.*

ipſorum non leuis ponitur remora, vnde et nutritionis negotium haud parum turbatur, neque minus etiam, grauitate ſua praeditae particulae aquoſae, peregrinis haud raro moleculis impraegnatae, et ad excretionem ſegniores factae, intra vaſa diutius moram nectentes, nouisque acceſſionibus indies auctae, febribus variis, ſtaſibus, oedematoſis tumoribus, hydropi, imo tandem extrauaſationibus periculoſis fomitem ſubminiſtrant; vt taceam, liquoris gaſtrici temperiem et qualitatem, hoc modo in peius mutatam, anorexiae, debilitati ventriculi, flatibus, ructibusque frequentioribus et moleſtis gignendis, reddi idoneam, cum a ſtimulo hoc naturali, ad appetitum excitandum admodum neceſſario, nunc vero nimium immutato, vix ſenſus iſte debitus, ad cibos appetendos inuitans, iuſto vigore pollere poſſit. Imo maximum denique hos expectat detrimentum, quibus, neſcio quo voluptatis ſtimulo adactis, ne aqua quidem potui diluendo ſufficit, adeo, vt eum glaciei vel ſuper imponere, vel plane miſcere, inter palati oblectamenta ponant, et, cum ſtomachus vinoque ciboque feruet, Geticis pruinis frigidiorem potum auide petant. Ferreos credas ventriculos, vel ſummo aeſtu flagrantes, hoc modo refrigerium ſibi quaerentes. Quid autem, quaeſo, magis erit abſonum, et periculoſum, quam aeſtiuo tempore, quamuis et hyemali hoc non ceſſet cacoethes, nimium calorem, quacunque demum de cauſa vrgentem, tam ſenſibili depellere velle alteratione. Sane lubentius fere ſuaſerim, vt Iouis ad exemplum ignibus ignes compeſcant *a*), quam glaciali frigore, adeo temere intra corpus adacta, ad partes tam externas, quam internas, hac violenta mutatione, nunquam non ſuſpecta futura, malorum iliada conuocent, cum, quod antehac incaluerat, et ſudore accedente liquatum fuerat, ſanguinis et humorum flumen, nunc protinus condenſatum, et liberiore ad viſcera deriuatione, atque ad cor reditu priuatum, febribus ardentibus, artuum variis morbis, ſpaſmis, imo et

 apople-

a) *De igne per ignem extinguendo*, diſſeruit Ill. beat. de HEVCHER in Diſput. Viteb. 1712. habita.

apoplecticis insultibus proliciendis adaptetur. Tantum est aliquando, voluptatibus sub munditiei specie abutendi desiderium, vt gustus elementis per omnia quaesitis, nihil de sanitatis et vitae periculis metuatur, imo, eidem callidius insidias struere posse, gloriosum reputetur, cum tamen delicias has, si modo adhuc hoc sint nomine dignae, rariore vsu commendari, atque abusus sui tristem rependere mercedem, haud difficulter iudicari possit.

A fragrantioribus floribus molestior effectus.

§. XI. Haud leuis praeterea in eo nonnullis ponitur mundities, quando copiosioribus florum fasciculis conclauia, scrinia, lectos, ornare, et ab aëris impurioris exhalationibus praeseruare, et quotidie nouum naribus apponere oblectamentum student. Hortulos hos domesticos, variorum florum congerie superbientes, quis non summa cum voluptate miretur, haecque naturae beneficia, tam larga, prodigaque fere manu oblata, summo cum desiderio carpenda, colligenda, fouenda existimet? Videas *Rosas*, *Hyacinthum*, *Narcissum*, *Keiri*, *Caryophyllos*, imo *Aurantium*, *Citreum*, *Lilia*, *Tuberosam*, *Pseudoacaciam*, *Philadelphum*, *Iasminum*, *Periclymenum*, aliarumque suaue, imo et graueolentium plantarum genera, plenis calathis allata, omniumque oculis et naribus alliciendis parata. Suauius et dulcius dormiri posse putatur inter Florae amplexus, neque, quanti haec gaudia, principium saepe doloris postmodum venturi futura, constent, perpenditur. Sulphureis omnes plantas, odorem praecipue largum de se fundentes, abundare particulis, scholae physicorum docent; quo copiosiores vero eaedem, et quo grauiores sunt, eo magis quoque inimica generi neruoso, cerebroque merito censentur. Ne miremur proin, quod capiti molestus inducatur dolor, quod vertigines, aliaque similia incommoda, dulci hoc blandimento inuitentur, cuius effectum praecipue sequiori sexui, apud quem mos iste, floribus vltra modum fauendi inualuit, non omni molestia vacare posse, vix dubitare licebit. Non vnum quippe prostat exemplum, suaueolentium exhalationes, nauseae, vomitui, lipothymiis, imo passioni

ſioni hyſtericae excitandae commodas fuiſſe, neruosque magis ſic irritari poſſe, quam foetore naribus attracto, quem fere commodius tolerari, ex caſtorei, aſae foetidae, plumarum accenſarum vſu, patet. Atque ab his naturae beneficiis atque diuitiis, modice vſurpatis, nihil quidquam ſuſtinendum erit mali, modo et mature ab earundem abſtineatur vſu, cum et hanc, adeo amoenam malorum cauſam, inter errores circa munditiem commiſſos, non inepte ponendam eſſe, quotidianae experientiae doceat euentus. Neque etiam ea propter ſuffitibus crebrioribus conclauia replere, conſultum erit. In aëris quidem exhalationibus, nunc impurioribus, nunc et plane contagioſis, ſuffumigia ſuo neutiquam deſtitui vſu, certum eſt. Praua enim effluuiorum conditio, quouis modo putredine ſua, corpori humano noxia futura, emendationem poſcit, hoc modo ex voto non raro impetrandam. Quotidie tamen aëre, thuris, maſtichis, benzoës, aliorumque ſuauium odoramentorum fumis impraegnato, veſci velle, vereor ne pulmonibus tandem moleſtum ſit futurum, vt ne quid de doloribus, aliisque incommodis, capiti, et in ſpecie organo odoratus inimicis futuris, de nauſea, turbisque, ſexui femineo quoque concitatis, hic fuſius dicam. Inde et eſt, quod minus feliciter ſanitati ſuae proſpiciant, quibus veſtimenta, chirothecas, caliendra, linteamina, variorum artificiorum ope, dulci odore replere, volupe eſt, cum nec ſemper bene valeat, nec omnibus ſemper bene oleat, qui ſemper bene olere cupit.

§. XII. Non plane tandem ſicco pede praetereunda erit, quae in ſomno intempeſtiue capiendo, ſi non munditiei forſitan, voluptatis tamen, et oblectamenti, minus quandoque apti, latere videtur ſpecies. Id autem vtique ſibi poſcit corpus noſtrum, variis modis defatigatum, labore delaſſatum, curis quandoque fractum, vt, quae ſubtractae ipſi fuerant vires, nouis acceſſionibus reſtaurentur, et non ſolum refectioni per alimenta, ſed et ſpirituum nouorum affluxui, quiete conſulatur, quo tempore, membris ab actionibus ſuis, non raro ſatis taediofis et *Somni abvſus.*

opero-

operoſis liberatis, remiſſione iisdem conceſſa, nouum robur capiendi venia patet. Dulciſſima ſane, et nemini non amica eſt refectionis ſpecies, quam quilibet quotidie auide expetit, imo anxie quandoque deſiderat. Videamus modo aegros, noctibus inſomnibus et turbulentis ſummopere defatigatos, audiamus ſanos, de ſtrepitu nocturno, ſomnum impediente, conquerentes, vbi nullum

meritoria ſomnum
Admittunt - - - et - - rhedarum tranſitus arcto
Vicorum in flexu, et ſtantis conuitia mandrae
Eripiunt ſomnum b),

et quietum placidumque ſomnum, maximo ſane in pretio ponendum, interque beneficia, ad vitam commode peragendam neceſſaria, a Deo conceſſa, nec temere ſpernenda, referendum cognoſcemus. In vtramque vero partem et hic peccari poſſe, neque id ſine damno quandoque fieri, dudum cognouerunt ſanitatis humanae praeſides, qui et hac e ſex rebus non naturalibus, caute vtendum eſſe, non ſine ratione ſaepius monuerunt. Durius vero ſentiunt, qui pauculas tantum horas corpori reficiendo ſufficere poſſe, contendunt, cum et nequidem certum cuiuis ſubiecto dormiendi praefigere liceat terminum, quin potius labori et defatigationi proportionatus ſemper ſit accommodandus ſomnus. Hinc ſomnum breuem, et vigilias ſaepius reiteratas, diuturnas lucubrationes, quibus nonnulli gloriolam quandam ſectari cupiunt, non niſi ſumme perniocioſas tandem eſſe poſſe, non opus eſt vt multis medicis euincam argumentis, cum triſtis tandem euentus, exceſſus huius prouentus ſat frequentes, foecundo, quamuis non adeo felici editos monſtret partu, ipſaque conſuetudo, altera fere natura facta, tanto mutari poſſit difficilius, quo grauior ſemper eſt labor, inueteratis remedium ponere velle moribus, adeo, vt vigiliis nimiis, vigili quoque febri excitatae, haud ſemper ex voto ſuccurri poſſit. Parcius quippe conceſſus corpori ſomnus,

b) IVVENALIS *Libr. I. Sat. III, 234. ſq.*

ſomnus, humores nonſolum turbat, exagitatque, ſed et ipſos, vna cum ſpiritibus, vi quaſi, imo et arte, potando, tabacique fumigatione, in multam noctem protracta, collectis, diſpergit, neruorum robur frangit, vnde non niſi ſumma poſthac delaſſatio, agrypniae moleſtae, perpetuae, febres acutae, imo deliria, mercedis loco eſſe ſolent *c*), quibus auertendis et compeſcendis, ſomnum optime conducere, HIPPOCRATES perhibet *d*), cum contra ſomnum pariter ac vigilias nimias ſumme pronunciet exitioſas *e*). Hinc et e contra nimio frui velle ſomno, atque hoc modo genio ſuo plus quam decet, indulgere, imo eundem ſaepius intempeſtiue inuitare, ſumme quoque probroſum erit. Vigilante nempe in longam diem ſtertere naſo, otiumque nimium, modico praeferre labori, non niſi deſipientes decet. Refrigerandos equidem debito modo humores ſuadent medici, attamen eos nimium delaſſatos, ſegnitie cohibitos, ſtagnationi, obſtructionibusque aptos magis redditos, prauam vtique corporibus inducere diſpoſitionem, ſponte ſua ſequitur *f*). Neque etiam ſomnum meridianum omnibus ſubiectis, omnique tempore proficuum eſſe, iam pridem ex antiquorum medicorum colligi poterit monitis, cum non ſine ratione ſchola Salernitana ſuum

ſomnum fuge meridianum,

omnibus acclamet, ne,

febris, ſegnities, capitis dolor, atque catarrhus

inde prouocentur, atque exhalationibus acrioribus, quae vigiliarum tempore diſpergi ſolent, ſumma concedatur libertas, intra corpus remoram nectendo, ſuam exercendi violentiam. Et, quamuis HIPPOCRATES aeſtatis tempore interdiu aliquando ſomnum, breuem tamen commendet *g*), ipſeque infantulorum ſomnus diuturnior et frequentior, ſalutaris ſui effectus

c) CELSVS *de medicina* L. II. c. 4. HIPPOCRATES *L. VII. Aph.* 18.

d) *L. II. Aph.* 2.

e) *L. II. Aph.* 3.

f) HIPPOCR. *L. II. de Diaeta*.

g) *L. I. de Diaeta*, ſub finem.

ctus prae se ferre videatur commendationem, neutiquam tamen hic ad omnia promiscue indiuidua applicationem fieri, et excessui excusationem parari posse, autumo, cum praecipue verum sit, infantulorum corpuscula, humoribus abundantia, pro partium firmatione et fibrarum condensatione, humorumque inspissatione impetranda, somno frequentiore commodius vtique frui posse, quibus nempe, quod in adultioribus laboris et motionis ope, ad roborandam machinam suam praestatur, somni beneficio conceditur. Quapropter et feminino sexui hic optime erit cauendum, ne, commoditati suae dum nimium largiuntur, somnumque tam diuturniorem, quam et frequentiorem meridianum in deliciis habent, sanguinis et humorum spissitudini, et exin pendenti pigriori ad partes decursui manus ferant auxiliatrices, atque ex cachexia contracta, parciore tributo lunari soluto, capitis dolore excitato, quantum et hic peccauerint, experiri cogantur. Quanto enim magis, vitae sedentariae incommodis, modica corporis agitatione, et quietis intempestiuae vitatione consulere possunt, quanto lubentius facie florida superbire, quam pallore et liuore deformes esse cupiunt, tanto diligentius ipsis erit allaborandum, ne, dum corpus nimium curare student, cura tandem morborum inde conuocatorum, aliunde petenda, si modo ex voto semper impetranda, veniat.

Conclusio. §. XIII. Et sic L. B. enumeratis quibusdam circa munditiem intempestiuam erroribus, et malis exinde cumulatim prouenientibus,

habitum temporis huius habes h).

Nihil me finxisse, vel frustra forsitan affectatum fuisse, crediderim. Non enim ea, quae paucis tantum nota sunt, exposui, nec et, quae intra priuatos saltem parietes, clam peraguntur, in publicum produxi vitia, sed et, quae publice committuntur, enumeraui, an ad omnium palatum locutus sim, nescio; apud iudices tamen haud prorsus iniquos, me non omni destitutum fore

h) OVIDIVS *L. I. Trist. Eleg. I.*

fore aſſenſu, certus confido; quod ſi impetrauero, laboris mei qualiscunque me praemium ſat graue conſecutum eſſe, profiteor. Supereſſent aliae munditiei intempeſtiuae ſpecies, hic vberius explicandae, verum, quis dicendi finis foret? ipſa fere materia vires exſuperante meas. Sufficit, ex potioribus hic cognouiſſe, quam ſpecioſae quandoque cauſae, malis haud ſpernendis, nec leuibus, in corpore humano producendis, vberrimam ſuggerere poſſint opportunitatem. Non enim ſemper corpus ipſum a medico erit accuſandum, et morborum cauſa intra illud quaerenda, cum et propria mortalium culpa, grauibus moleſtiis, quae libero impetu vitae ſanitatique pernicioſae eſſe poſſunt, via aperiatur. Haec enim eſt ea clandeſtina, quam ſibi plerique, vel inſcii ſaepe inferunt, iniuria, quam eo prudentius euitare decet, quo turpius eſt, ſub ſpecie boni ſibi ipſi damnum parare, non tam cito, quam inuitatum fuit, auertendum et reparandum. Probi et fidelis eſt medici, ita ſemper hominum, curae ſuae commendatorum, inuigilare ſanitati, ne opprobrio medici quaeuis indulgentis commaculatus, grauiorem ſibi poſthac laborem, vbi anxie ſatis vndequaque petitur auxilium, ſua contrahat culpa. Hinc et nil niſi vota ſuperſunt, quorum ſumma eſt, vt quilibet, ſanitatis ſuae conſeruandae cupidus, nonſolum haec ſine bile legat, ſed et, quam variis modis ſanitas turbari poſſit, diſcat, nam et munditiei

fines tranſiliiſſe, nocet.



DISSERTATIO IV.

DE MVNDITIEI AFFECTATAE INCOMMODIS,

HABITA D. XXX. IVN. MDCCXLVII.

OVIDIVS *Epist. XVII. 98.*
Est virtus, placitis abstinuisse bonis.

---

§. I.

Mortalium, in morbis studio prouocandis, peruersitas.

Quotiescunque in disquirendis malorum, humani corporis integritatem adeo pertinaci saepius impetu turbantium causis, sollicitos cernimus medicos, toties et non vnum detegi experimur fontem, ex quo, largissimo posthac flumine, variae calamitatum cohortes, infelicis originis testes, promanare solent. Neque semper ita abstrusas plane et occultas esse morborum causas, quotidianis docemur exemplis, vt adeo plane difficili, in iisdem, diu multumque diuinando detegendis, opus sit labore, cum non semper corporis dispositio, viscerum vitia, humorum dyscrasia, animi pathemata, vel quaecunque demum alia sanitatis impedimenta grauiora, accusanda veniant, sed ipsa viuendi ratio, optima quandoque visa, reuera tamen satis peruersa et suspecta, curatiori examini subiecta, satis aperte doceat, quam prona sint hominum, ad morbos sibi studio conciliandos, desideria et ingenia. Et huic sane morbos prouocandi temeritati, quamuis abs nonnullis citra voluntatem, vel, si benignius adhuc loqui liceat, citra expectationem indulgeatur, nihilo tamen secius, maiorem illorum esse numerum, qui omni opera id agunt, vt sub specie inculpatae viuendi rationis, sani corporis habi-

habitum infringant, actionibusque, tam naturalibus, quam vitalibus, impedimenta plura quotidie fere ponant, quilibet, indolis humanae, vetita appetentis, meliora videntis, deteriora tamen cupientis, gnarus, fatebitur, qua, dum corpori bene cupere, et genio suo indulgere posse, allaboratur, dum de vitae molestiis alleuandis cogitatur, incommodis longe deterioribus grauioribusque, vix quandoque superandis, commodissima sternitur via. Hanc et olim plurium fuisse medicorum conquerendi caussam, neminem, nisi plane in scriptis eorum peregrinum, latebit. Haec et nostris temporibus reseruata fuisse fata, infelici quodam traduce propagata, vix probatione indiget, re ipsa dictorum et dicendorum veritatem comprobante. Et, quis est qui nesciat, tanto periculosiorem esse mali acerbitatem, quanto segnius contra eius emendationem laboratur, et tanto certius morborum quoque praesagiri posse incrementa, quanto minus de caussarum, eosdem inuitantium, atque sub dulci iucunditatis tegmine indies profundius serpentium, correctione cogitatur, quae, quamuis lento incedere soleant pede, tarditatem nihilo minus suam, eo periculosioris effectus grauitate, abunde denique compensant. Luxui, voluptati, veneris abusui, animi commotionibus nimiis, innumeros deberi morbos, nec est res adeo ignota aut rara, vt in eadem corroboranda peregrinis opus sit testimoniis, cum ipsa ratio quemuis de tristiore effectu, a caussis adeo manifestis pendente, conuincere possit; ast, sub munditiei tegmine ita sanitatem turbare, vt ipsa quandoque periclitetur vita, tanto maiorem prodit imprudentiam, et eo diligentiorem poscit attentionem, quo certius est, ab hoste clandestino, et infirmiore viso, et indulgendo maiores vires capiente, semper magis cauendum, atque quicquid est insidiarum, extimescendum esse, quam ab eo, qui aperta vi, et coniunctis viribus, pleno impetu, mali quid attentat. Dicta equidem iamtum quaedam hac de re, a me in superiore fuerunt tractatione, sed, cum et nonnulla supersint, quae prioribus addi posse videbantur, dignum iudicaui argumentum, de quo ali-

 qua

qua adhuc exponi poſſint, haud prorſus forte iniucunda, cum euictum praeprimis ſit, proximam a munditie intempeſtiua ad luxum, et grauiſſima inde promanantia mala, patere viam, qua euitata, nihil periculi, vel certe opprobrii metuendum erit de effectibus moleſtioribus, adeo ſplendidam cauſam indubitato comitaturis. Haec dum meditor, nouitate quadam, quam adeo auide ſemper deſiderare videntur, atque inde ingenia metiri ſolent, noſtra tempora, obſeruationes rariores, ſaepe ſatis antiquas aut ſteriles, magis, quam vtilium argumentorum tractationem appetentia, ſcriptum meum commendatum iri, neutiquam opinor, cum et antiqui illius probe meminerim: nihil dici poſſe, quod non dictum ſit prius; neque etiam morum ſeueriorem me cenſorem acturum, profiteor, multo minus me apud complures gratiam promeriturum, praeuideo, cum, quod inde a plurimis ſeculis fruſtra tentauerunt viri praeſtantiſſimi, mihi quoque, iſtorum famae meritisque longe adhuc inferiori, euenturum, facile augurari poſſim; turpe tamen reputaui, ea reticere velle, quae vel a pluribus ignorantur, vel negligentius habentur, neque et omnes, vitae humanae conceſſas commoditates, hic culpandas, vel ſuſpectas habendas velim, modum ſaltem, omnibus in rebus ſalutarem, commendaturus, atque a nimio, circa res, commodas viſas exceſſu, vt abſtineatur, ſi non vbiuis, a prudentioribus tamen impetrare, tentaturus.

De infantum faſciatione.

§. II. Ab infantibus exordiri conueniet. Quo teneriora etenim ipſorum ſunt corpora, quoque periculoſiora, vel leuiſſima mala, ipſos inuaſura, fieri tandem poſſunt, eo maiorem quoque conueniet in iisdem auertendis et euitandis dare operam, ne variis moleſtiis, temere et conſulto fere expoſiti, incuriam parentum aliquando accuſare poſſint. Quapropter vix vllus erit excuſationi locus concedendus, in cura tenellorum praepoſtere inſtituta, tantoque magis probroſa videbitur aeſtimanda educatio, qua ſub munditiei praetextu, moleſtiis diuerſiſſimis, a tam fragili machina vix ſuſtinendis, a partu fere ſtatim, quamuis et in ipſo vtero adhuc, ſuis nequidem careat

foetus

foetus incommodis, matrum munditiei adſcribendis, redduntur obnoxii a). Cumque magis ipſorum corpuſculo firmando et defendendo erat inuigilandum, eius viribus potius infringendis, variis modis vberrima ſuppeditatur occaſio, quod, cum quotidie fere accidat, vt ſanitati infantum, adeo peruerſa eosdem tractandi methodo, vix bene et ex voto conſulatur, vtique et huic mori obicem ponendum eſſe, neceſſitas imperabit. Ex mollioribus autem et flexilioribus eſſe infantulorum corpuſcula conſtructa partibus, et vbiuis fere, vel ob cartilagines, nondum in firmiorem oſſeam ſubſtantiam mutatas, vel oſſium lamellas, nondum ſatis denſas, compactas, debiteque rigidas, facile et quouis modo laedenda, ob muſculorum inſuper et ligamentorum fibras, ſubtiliore adhuc textura gaudentes, motui cuiuis ſuſtinendo et ſuſcipiendo non ſatis idonea, hic fuſius exponere, atque per ſingula ire membra, ab inſtituto alienum eſſe cenſeo, cum et rei anatomicae cognitione deſtitutus, hac de veritate vix dubitare queat. Huic fibrarum laxitati ſuperandae, longius paullo temporis ſpatium concedendum, interea vero infirmitati huic variis obuiam eundum eſſe modis, ſponte ſua patet. Ecquid enim roboris, a machinae adeo mollis, partibus debilibus, lacte adhuc nutriendis, ſperandum erit? annon potius omni allaborandum erit induſtria, vt, quaecunque tenello puſionum corpuſculo inimica a primis eſſe poterant incunabulis, ſumma cum prudentia non ſolum auertantur, ſed et de tono partium, indies magis magisque adaugendo cogitetur, cum, quod tunc temporis neglectum fuit, vix ſemper, increſcente aetate, reparari poſſit. Optimum vero, tum fibras molliores et debiliores adhuc roborandi, tum oſſium compagem arctius paullo, atque in ſitu debito praeprimis ſuſtinendi, et a violentia quauis ſollicite defendendi remedium, inde a multis temporibus vſu haud vulgari commendatum, maximaque apud plurimos medicos laude dignum iudicatum, in faſciatione

a) Vid. Diſſertationem priorem de morbis ex munditie intempeſtiua, §. VI.

tione positum esse, vix quemquam latere posse, puto *b*). Incuruationi autem ossium, adeo flexilium adhuc, vt alia iam taceam, ex fasciarum vsu expectanda summa commoda, praecipue obuiam iri debere, quilibet vel exinde facile iudicabit, quod ab ipsorum mala conformatione et prauo situ, corporis quoque habitus minus concinnus vtique pendeat, ne quid dicam de partium solidarum molliorum actione, ab hac quoque causa diuersimode intercipienda. Quidni vero hoc, quicquid est malorum, omni metuendum erit iure, si quidem citius quam decebat, infantuli e fasciis excedant, et, paucissimis septimanis elapsis, vel plane, vti fere nunc mos inualuit, ex vinculis adeo vtilibus dimittantur, vel negligentius deligentur. Improuidam hanc esse indulgentiam, munditiei fuco pictam, nemo non fatebitur, vbi sub inanis metus praetextu, ne forsitan molestiae quid infantibus creetur, vel nitidioris saepe vestitus gratia, fasciationis necessariae superhabetur ante tempus negotium. Circumportantur infantes, agitantur, de manu in manum transeunt, neque semper satis prouidis excipiuntur manibus, vnde de costarum molliuscularum adhuc, compressione, non nisi summe noxia euasura, merito metuendum est, vt taceam, ipsos pedes, fasciis non diu satis constrictos, perpetua, qua voluuntur ab infantibus agitatione, facili negotio durum incuruationis et luxationis experiri posse fatum, cuius mali non leuis quoque in eo ponenda esse videbitur causa, si ante, quam per musculorum et pedum robur poterant, cursitationem et ingressum tentare cogantur, siquidem saepius calcitrando, corporis accedente mole, teneriores ossium epiphyses vi quasi ad irregularem figuram et situm disponuntur, quod vitium, quamuis in puellis vestitu longiore occultari tandem aliquo poterat modo, nihilo tamen secius gressui, vbi adoleuerunt, non leue quandoque ponit impedimentum, satis distincte non raro conspiciendum, pueros vero eo magis deturpat, quo minus incuriae huius

b) Vid. Illustr. PLATNERI Progr. *De fascia, infirmitatem iuuante*, anno 1745. editum.

huius manifesta signa, nullo modo emendanda, conspectui subtrahi possunt *c*).

§. III. Incedendum tamen tandem erit paruulis, atque pedes ad officium hoc subeundum, paulatim disponendi. Non minore autem opus quoque erit circumspectione, in cursitationis, iusto tempore, atque concinno modo instituendae, prudente adhibenda directione. Variis quoque hoc tentari modis, res est in vulgus notissima, hic vberius non exponenda. Frequentissimum tamen fere scimus vsum amiculorum illorum cursoriorum, (Lauf-Zäume) quibus gradientis tironis succurritur moliminibus, quae, quamuis quoddam prae se ferre videantur commodum, nihilo tamen secius, ob praeposteram, iisdem quandoque vtendi rationem, nutricum labori magis facilitando, quam infantum gressui, cum felicis euentus spe dirigendo, conducere videntur, cum totus, quantus est thorax, vna cum ossibus scapulae et clauiculis sursum tractis, compressus et constrictus magis, non leuem sustinere cogatur violentiam, praecipue cum non ea semper, quae poscebatur attentio, ad huius exercitii

De cursitatione infantum.

c) Ne tamen etiam in fasciatione nimia peccetur, atque hic iusti transiliantur limites, citasse iuuabit, quae RVYSCHIVS hac de re habet in Adversar. Anatom. Decad. II, N. X. p. 40. *Corrigendum clamaui pessimum errorem, dum nati recens infantes, brachiis, lateribus appressis, complicatis cruribus, pressi* arctissime *inuoluuntur fasciis, vt nullum suorum artuum, vel tantillum mouere queant, sed iaceant in rectum exporrecti, stipitis instar duri, absque vllo articulorum flexu. Nonne natura prudentior, aquae immerserat calidae, vt nihil duri illos posset premere, vixque attingere eorum corpuscula? Nonne in vtero materno ita omnia erant instructa, vt liberrime fluctuans in liquore tepido, mobili, molli, pro suo lubitu posset mouere artus omnes, omnes articulos? Nonne ibi erant omnia rite, debitaque symmetriae proportione nata, aucta, expansa? An ibi vnquam gibbum dorsum, elatus thorax, retorta crura, curvata ossa? Quid ergo tu, ineptissima mulier, absque vlla arte, sine vlla cognitione, imo sine vllo proposito, libero nato infanti compedes, vincula, ligamina nectis? anne aliter docere te deberet vniuersa Asia, Africa, America, vbi recens nati laxis inuoluti pannis, solius naturae sapientiae dantur, quae sola omnia rite ordinat? Certe, ibi optima hominum corpora crescunt. Ego certe nolui meos sic tractari*

tii incommoda auertenda, a femellis, quarum obseruationi paruulorum concredita sunt corpuscula, impendatur, nec, dum infantes penduli sustinentur, ab omni incuria caueatur. Melius videtur ab aliis consuli posse infantibus, cursitationem inchoaturis, per cancellos cursorios, siue, vt antiquo, quod apud *Varronem* et *Ciceronem* habetur, vtar vocabulo, *serperastra*, (Lauf-Bänke, Lauf-Wagen) quibus circa thoracem immissi, et repagulo obfirmati pusiones, antrorsum et retrorsum cursitando, paulatim deambulationi assuescunt. Neque tamen et hic omni suspicione carebit modus. Tota enim corporis moles, cruribus innixa, ipsorum pariter robore superior euadit, eademque premendo, haud impedire potest, quo minus femoris et cruris ossium fibrae a recta declinent linea, quinimo, cum ob celeriorem nimis infantulorum, modum tenere nesciorum, deambulationem et titubationem, vix semper euitandam, aut humeri, aut pedum luxatio, si non ipsa fractura, metuenda sit, huic quoque methodo aliam, magisque tutam, substitui posse ac debere, facile quilibet perspiciet. Ecquid enim intererit, eo vsque infantum dexteritatem, quam in maturiore monstrare debebant deambulatione, paullum distulisse, vsque dum per musculorum et ossium robur magis auctum, huic negotio felicius absolvendo

tractari liberos, quorum tamen nullus aliquam partium solidarum male formatam habuit. Insurgere quoque oportet in truculentum, omnique omnino rationi aduersum morem, quo tenella capita recens natorum infantum ita comprimuntur ligaturis, arcte adstrictis, vt mobilia tum per molles hactenus suturas, ossa cranii compressa, cerebrum, aliaque cranii contenta turbarent, vnde sopores, conuulsiones, malae capitis formationes, fatuitas, mors. Oportuerat certe permittere naturae, quae sola aequabiliter omnia extendit, capitis iam in vtero bene formati ante natiuitatem, vlteriorem perfectionem. Quam insulsa autem est, qua suos crassos errores praetexunt, ratio! quasi ita curarent, vt caput bene firmatum, rite durescendo, clauderetur. Spectes natos feruido sub climate pueros, nudo profecto hos capite tenent, nec formata melius crania alibi reperias. Annon et ipsi illi miseri infantes ostendunt, quid imprimis illis per instinctum natura iubeat? Certe, vbi ita male sunt tractati, mouent tam diu, fricantque capita tenella, donec alio ipsis modo iterum iterumque componantur. Dignum certe monitorium, quod omnibus obstetricibus, et quibuscunque demum paruulorum cura commissa est, serio et frequentissime commendetur

vendo pares extiterint? mallem ſane ſerius gradientem habere infantem, quam eundem iuſto citius curſitationi aſſuefactum, poſthac claudicaturum.

§. IV. Maxima porro eſt in infantum ſanitate tuenda, circumſpectio impendenda, ne vel cito nimis, vel iuſto crebrius, aëri exponantur liberiori. Vana quippe, et nullius momenti eſt opinio, qua, mature eosdem aëris vſui aſſuefaciendos, vt eius moleſtias poſthac facilius ferre diſcant, nonnulli capti ſunt, adeo, vt nullo tempeſtatis diſcrimine habito, quasvis a tenerrima aetate experiri cogantur aëris iniurias, id quod, cum ſaepius eorum ornandorum, et cognatos inuiſendorum fiat cauſa, ad vrbanitatem, imo munditiem minus tempeſtiuam referre, nullus dubito. Id potius omni agendum erat modo, vt corpuſculorum ſucculentorum, et ad varias excretiones procliuium tranſpiratio, nec aëre calidiore nimium prouocetur, nec praecipue aëri frigidiori liberior concedatur acceſſus, quo irrumpente, variis periculis, circa dentitionis tempus praecipue imminentibus, acerbius ſaeuiendi conceditur opportunitas. Non enim hic iuuabit ad veterum Teutonum, aliarumque gentium prouocaſſe exempla, cum, quae inter duriores maiorum mores ponuntur, imitari velle, nullo modo deceat. Omni tamen ſuo tempore, aëris purioris et temperati vſu infantulos priuare velle, eo minus conueniet, quo plura ſunt commoda, quae ab eius prudente vſu, ad iuniora pariter ac adultiora ſubiecta redundare ſolent.

Aer infantibus non ſemper proficuus.

§. V. Nondum autem omnis hic erit in infantum cura habenda, abſoluta pagina, quin potius et munditiei circa victum abuſus, breuibus diſpiciendus venit. Quo vero ſimplicior eſt ciborum apparatus, eo quoque melior de nutritionis negotio ex voto abſoluendo, concipienda erit ſpes. Aſt, quanta ſaepius ſit matrum delicatularum, in infantum palato, mature ſatis deliciarum variarum generibus demulcendo, aſſiduitas et propenſio, quotidianis edocemur exemplis. Vix enim fere vbera reliquit materna tenellus, ſi modo et haec deguſtaſſe

Victus infantilis varietas, et qualitas, noxia.

felicitas ipſi contigerit, qua de re poſthac agendum erit, vix autem haec reliquit, cum dulcia, acida, pinguia, ſolida, fluida, calida, frigida, idque genus varia eſculenta ac potulenta, ipſi fere inuito quandoque obtruduntur. In conſuetudinem tamen praecipue mos abiit, quo variis pulmentis, ſaepius per diem datis, infantuli felicius nutriri poſſe putantur. Quamuis vero hoc plane et in totum improbare non audeam inſtitutum, ne omni in me anicularum turba concitata, praelii imparis periculo exponar, nihilo tamen ſecius et hic circumſpectius agendum eſſe, exiſtimauerim, cum, non omnia huius generis fercula, aetati infantili ſalubria eſſe, dudum non ſine ratione iudicauerint medicorum prudentiſſimi. Sic ETTMVLLERVS *d)*, dum de origine et cauſa crinonum atque comedonum, infeſtiſſimorum ſane infantili corpori animalculorum detegenda, paulo meditatur curatius, huius mali fontem omnino etiam in pultis minus cauto vſu quaerendum eſſe, opinatur, dum lacti et pulti eiusmodi ineſſe animalcula, perhibet, quae, ſi in ventriculum ingeſta fuerint, adeo diris malis excitandis admodum fiant apta. Et vbi *artic. IV.* de pultis agit vitiis, ſiniſtram eius praeparationem pariter, ac exhibendi modum, non minus foecundam eſſe cenſet variarum iniuriarum matrem, a quibus ſanitas paruulorum, facili negotio labem contrahere valeat. Et, ſi quando in torminum ventris, ſingultus, obſtructionis, diarrhoeae, flatulentiae, vomitus, imo et inſultuum epilepticorum, aliorumque infantilium morborum cauſas, paulo inquiratur propius, ſane frequentius viuendi genus eſſe accuſandum, intelligemus, quam quidem corporis ipſius, et partium eius habitum, vel prauam diſpoſitionem, ex alio plane fonte deriuandam. Idem eſto iudicium de lumbricis, inteſtina occupantibus, quorum progeneratio et incrementum, ſaepe vix ab alia cauſa, quam a dulcium et lacticiniorum pendere poterit abuſu.

§. VI.

d) Colleg. Pract. artic. XXXVIII. *De atrophia et macie infantum.* Cauſa 3.

§. VI. Veruntamen, non ſemper ſufficere creditur, infantum tantum nutritioni pulmentis, bellariis, aliisque pabulis ſuavioribus proſpexiſſe, quinimo, cum praeter varia dulcia, amara, acida, ipſum vinum quoque iuſto adhibeatur ſaepius, eiusque vſu, viribus ipſorum maius robur addi poſſe, putetur, hoc ipſo modo euentum, qui ſperabatur, fruſtra expectari, certo conſtabit. Id quod enim antiquiſſimis iam pridem temporibus, de vino, nec iunioribus, nedum infantibus temere exhibendo, cautum fuit, cum vino forma pereat, aetasque eius corrumpatur vſu *e)*, hodienum quoque attentos omnes facere debebit, qui incremento et ſanitati tenerioris machinae infantilis inuigilare cupiunt. Hoc quippe modo, humorum nimiae aut condenſationi, quoad partes grauiores, aut diſſipationi, quoad partes ſubtiliores, via paratur, calor copioſior viſceribus inducitur, curſus ſanguinis et reliquorum fluidorum, plus quam decebat, et ſubiectis adeo infirmis conuenire poterat, excitatur, ſicque variorum malorum potius vires augentur, atque iisdem, vltro iamtum non raro infantilia corpora inuadentibus, nec tam ſpecioſa indigentibus inuitatione, eo celerior et impetuoſior vel conceditur acceſſus, vel certe difficulter praecluditur. Neque opus erit, in prima ſtatim iuuentute, gulas infantum vini aſſuefacere vſui, atque hiſce colluere deliciis, cum nihil quidquam metuendum ſit, quod vinum aliquando ſint auerſaturi, ſiquidem in prouectiore aetate, dum lautius vitae genus prono appetunt impetu, plus ſatis quandoque, atque nullo praeeunte magiſtro, haec oblectamenta quaerunt, quibus vel parum modice, vel minus apto tempore ſumtis, cum ne adultior quidem ſemper impune fruatur, quanto magis eadem, etiam parcius ingeſta, nociua credemus futura, vbi ventriculo, hiſce bonis cum emolumento fruendis, et in vſum corporis vertendis, vix dum adhuc pari, committuntur. Quapropter et non promiſcue huic ſub-

Vini, et balneorum vinoſorum abuſus, infantibus damnoſus.

e) GALENVS L. V. *de ſanitate tuenda*, pueris vinum nociuum dixit, cum ab igne, igni addito, nihil commodi ſperari poſſit, vnde et PLATO eius vſum ad annum aetatis decimum octauum interdixit.

ſubſcribendum eſſe putauerim conſuetudini, qua, hodiernis praecipue temporibus, infantes frequentiore balnei vinoſi vſu, refici poſſe putantur. Certum interim eſt, vbi debiliorum ſubiectorum, ſenſim paulatimque roborandorum res agitur, lotionem vinoſam, et leniorem frictionem, prudenter inſtitutam, non omni carere vtilitate, veruntamen, ſi in munditiei tantum finem hoc ſuſcipiatur negotii, neque et hic iuſti teneantur limites, vix fieri poterit, quin vini euaporationibus fortioribus ſpiritus diſſipentur, caput male habeat, tranſpiratio ob poros, acido vinoſo tandem conſtrictos, impediatur, incrementum partium intercipiatur, adeo, vt, quae infantibus addi tentabantur vires, magis potius exhauriantur, et fibrae, iuſto ſtrictiores redditae, humorum transgreſſui obſequium renuant, ſicque, quod felicius vel ſola aqua tepida, modicaque frictione impetrari poterat, praepoſtero vini vſu perdatur.

Balneorum aquoſorum incommoda.

§. VII. Sed ad ipſa, quae iam commemoraui, balnea progredior aquoſa, et, quantum in hac quoque munditiei ſpecie excedi poſſit, paucis exponam. A ſordibus et ſqualore autem repurgandos eſſe infantes, atque lotionis debitae vſu, corporis firmamento et ſanitati, apud adultiores quoque conſuli poſſe, hic in dubium vocare non eſt animus. Varia in vtramque partem, circa balneorum tam vſum, quam abuſum, noxas et vtilitatem, et ab antiquioribus et recentioribus medicis dicta fuiſſe, abunde notum eſt, cum in hoc munditiei genere, et olim et hodienum vario modo, tam quoad exceſſum, quam defectum peccatum fuerit. Circa exceſſum tamen iam ſaltem verſari volupe eſt. Nunc enim nimium extenuata corpora, frequenti hac lotione fibrarum maciem depellere, partiumque tonum reſtaurare cupiunt, nunc de humorum ſtaſibus reſoluendis, et liberiore eorundem curſu, hoc modo promouendo, cogitatur, tranſpiratio laeſa iterum ſuſcitatur, excretionibus ſalutaribus via paratur, et quae ſunt alia commoda, a balneis expectanda, quibus certe haud parum, tam in conſeruanda, quam recuperanda ſanitate, debetur. Veruntamen et pro ſubiectorum conditione,

tum

tum frequentiorem, tum intempestiuum balneorum vsum, sinistros quosuis producere posse effectus, eo certius augurari licet, quo magis cauendum esse scimus, ne sanguinis et humorum orgasmo, hac ratione facillime excitato, partium solidarum tono, ob nimiam humorum dissolutorum copiam detractam, ad inopiam redacto, porisque nimium distentis, ipsa quae auerti putabantur mala, pleno potius irruere valeant agmine, eoque maiores turbas excitent, quo minor ab imbecilliore corpore fieri poterat renisus *f*). A quo periculo, cum adultiores vix tuti esse possint, quanto grauioribus putabimus incommodis obnoxios futuros infantulos, quibus ob virium vigorem imminutum, omnis praecluditur opportunitas, morborum, suae aetati et constitutioni praecipue propriorum, debellandi saeuitiem *g*)? Quae cum omnia vel a matribus, vel aliis mulierculis minus attendantur, quarum curae dulcium suorum pignorum concredunt sanitatem parentes, eo diligentius vtique hic erit prospiciendum, ne, dum infantulos nimium curare student, incuriae cuiusdam accusari possint.

§. VIII. Age, dum parentum iniicio mentionem, ad matres accedere, et munditiei quandam disquirere liceat speciem, qua, dum corporis sui curam gerere velle videntur, voti quidem sui, quamuis non sine omni molestia compotes redduntur, verum et non semper liberis suis, partu felici editis, debito modo consulunt. Hic vero munditiem commoditati et voluptati mixtam sese prodere, haud obscuris patet indiciis. Turpe quippe videtur, si non omnibus, quamplurimis tamen, materno et inquilino lacte infantes alere, et fere inter rariora maternae propensionis ponendum erit documenta, si matrem conspicias, ad lactationis incommoda, si modo incommoda nuncupare licet, quae natura et officium maternum praecipiunt, subeunda faci-

Lactationis intermissio molesta.

f) SENECA Epist. 51. *Quid mihi cum istis calentibus stagnis, quid cum sudatoriis? omnis sudor per laborem exeat.*

g) Legi merebitur Excell. QVELMALZII Differt. *De balneorum aquae simplicis vsu*, Lips. 1744. habita.

facilem. Vix necessum duco, in causas inconcinnas prorsus atque proletarias inquirere, quibus delicatulae tales, facto suo fucum inducere parant, cum certe commoditatis et voluptatis magis, quam sanitatis causa, suo deesse videantur officio. Confabulationibus nempe, excursionibus, lusui, epulis, aliisque oblectationis generibus, vacandum potius erat, cum domi tempus inter suspiria et fletus infantum cum taedio consumere, exosum reputetur. Ipsi quoque corporis habitui erat parcendum, ne gracilitas, et forma bene composita, thoracum constrictione magis adhuc emendanda, et extollenda, lactatione, quo tempore laxioribus vti decet vestimentis, impediatur, deturpetur. Vtendum proin aetatis oblectamentis, cum, quae

cito pede labitur aetas,

seria et vtiliora negotia, senectutis saltem reseruasse credatur seueritati. Somni quoque non erat interrumpenda, neque meridiani, neque nocturni dulcedo, quem, sitiente tenello, saepius turbandum, praeuidere poterant matres duriores. Tantum ab illis, quae natura et aequitas praecipit negotiis, abhorrere haud paucas experimur, vt grauioribus lubentius sese exponere incommodis, quam sui in liberos affectus testimonium, hoc quoque officio commonstrare placeat, quamuis sponte augurari liceat, naturam, quae frustra nihil facit, dulcis infantilis escae proventum, non citra rationem mammis concessisse, quam proprio foetui inuidere velle, negligentiae et duritiei vix excusandae culpam meretur, in quo officio praestando, an non ipsa animalia homines longe antecellant, prudentioribus diiudicandum relinquo censoribus. Pudeat sane matres, infantibus hoc, quod naturali quodam poscere poterant iure, renuere, atque lacte conductitio nutricum, satis quandoque suspectarum, ipsorum onerare ventriculos, cum, nisi morbosa conditio, aliaeque, quae lactationem impedire poterant, sonticae causae, contrarium suadeant, omnem fere humanitatem deposuisse, merito reputari possint. Adeo a priscorum seculorum moribus degenerant nostrates, et tanto acerbius est infantum hodierni aeui

fatum,

fatum, vt, qui olim a matribus ſummo cum affectu diligi putabantur infantes, nunc odii materni haud vulgaria experiantur documenta *h*). Inde et eſt, quod a primis ſtatim poſt partum diebus, anxietatibus, aeſtu frequentiore, capitis doloribus, purpura, duritie et abſceſſu mammarum, aliisque ſatis atrocibus moleſtiis vexatae matres, vix ſine ſummo periculo easdem ſuperare valeant, atque materni affectus denegati, dignas non ſine opprobrio luant poenas, quas, ſi non omnes, plures tamen et potiores auertere potuiſſe, facile coniicere licet, ſi modo, quanto cum incommodo lactis diſcuſſio ſit ſuſcipienda, et quam parum ſemper ex voto, humoris, pleno flumine illabentis, retrogradus ad fontem ſuum, et per alia vaſa curſus impetrari, aut affluxus impediri ita poſſit, quin aliqua ſuae remorae poſthac monſtret veſtigia, paullo curatius perpendere, atque quod natura demandauerat officium, munditiei probroſae praeferre placeat. Sane cum ipſi gentiles, materni in liberos amoris, vix vnquam fuerint immemores, atque innumera propenſionis adeo tenerae exempla, neminem non in ſui trahere debeant imitationem, cumque turpe gentibus antiquioribus habitum fuerit, hoc in paſſu negligentiae commaculari crimine, quanto magis culpandas quilibet merito iudicabit matres, quae altioris ſapientiae lumine illuſtratae, amoris inſiti inſtinctum ſequi, detrectant *i*)?

§. IX. Non minus ad munditiem intempeſtiuam, veſtimentorum leuiorum referendus erit vſus. Ita quidem ab ineunte *Leuiora veſtimenta, morbis*

h) De matrum in infantes maiore, quam patrum affectu, teſtatur QVINTIL. *Declam. X.* ARISTOT. *VIII. Ethic. C. 12.* Φιλοῦσιν μᾶλλον αἱ μητέρες. PACAT. DREPAN. Paneg. CXVII. *inſtituente natura*, inquit, *plus fere liberos, quam nos ipſos diligimus.* EVRIPID. ap. STOB. S. 77. οὐκ ἔστιν οὐδὲν μητρὸς ἥδιον τέκνοις.

i) TACITVS de morib. Germ. C. 20. *Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis, aut nutricibus delegantur.* QVINTILIANVS Declam. XVIII. *Natum de ſe, continuo impatientius complexa mater, non in nutrices, nec in miniſteria ſepoſuit, ſuis aluit uberibus, ſuo fouit amplexu.* Plura PLVTARCHI, GELLII, aliorumque taceo teſtimonia.

prouocandis idonea. eunte fere aetate assuefactum esse prae viris sexum sequiorem, certum est, vt non adeo sollicitam, in corporibus suis, a capite ad calcem tegendis et obuelandis, ponat operam, veruntamen hanc consuetudinem nunquam ita in alteram naturam degenerare semper posse, crediderim, quin variae morborum inuasiones ante sustinendae sint, quam felix, qui optabatur euentus, cum spe sanitatis posthac constantioris, impetrari possit, cum non semper, quod ab omnibus, vel pluribus, etiam aliquamdiu citra notabilem committitur noxam, eiusdem facti imitatoribus defendendis et excusandis sufficiat, vel a negligentiae vitio immunes praestet. In amplum nimis diuagarer campum, vix vnquam emetiendum, si cuncta, quae circa vestitum occurrunt vitia, hic disquirere sumerem, cum nec scripti limites hanc permittant excursionem, atque in malis potioribus, ab hac causa originem ducentibus, detegendis, plures iamtum occupati viri celebres fuerint *k*). Praeprimis tamen, cum nihil magis corporis nostri sanitati conseruandae, imo et saepius restaurandae conducat, quam vt debito istud foueamus calore, qua ratione et hic ab alterutra peccari possit parte, paucissimis exponere tentabo. Et quis est, qui non sponte sua, corpus hyemali praeprimis tempore, studiosius paullo tegendum esse, perspiciat, ipsasque eas partes sibi hanc exposcere ante omnia curam, iudicet, quae, cum nobilioribus visceribus et organis defendendis sint datae, non nisi summam patiantur oportet iniuriam, si quando frigoris liberiori exponantur accessui. Caput sane, pectus, abdomen, eo diligentiorem sibi poscere poterant obuelationem, quo grauiora, et ad vitae integritatem summe necessaria ibidem peragi debebant negotia, adeo temere non turbanda. Veruntamen vix videas quidquam, nisi subtilissimum redimiculum, vertici tegendo parum adhuc sufficiens, capiti ornando, non defendendo dicatum; pectora collariis, satis transparentibus, nitidissimis quidem, sed scopo, cui facere de-

k) *De vestitus vitiis, morborum caussis*, vid. Dissert. MICH. ALBERTI, Hal. 1729. habita.

debebant satis, nullo modo accommodatis, circumdantur, quorum negligentiore situ et pretiosa fabrica, ad subtus latentes delicias quidem auidius spectandas, alliciuntur curiosi, frigoris tamen molestiae ne per momentum quidem arcentur. An mirari proin conueniet, si, hisce partibus adeo insuper habitis, de frequentiore capitis dolore, vertigine, catarrhis, tussi, torminibus abdominalibus, rheumatismis, faucium inflammatione, innumerae suboriantur querelae? Certe, sicuti in pluribus morbis, debitum saepe caloris regimen, quouis quandoque superius esse solet medicamento, ita quoque quamplurimarum molestiarum accessum praeueniri posse, sponte sua sequitur, si quando in partibus corporis, praecipue adeo nobilibus, tum modestiae et pudoris, tum sanitatis causa, prudentius occultandis et tegendis, cautius agatur.

§. X. A capite et pectore ad pedes deueniendum, nitidissimis sericeis, vel aliis leuioribus ornatos tibialibus, calceisque angustissimis compressos. Ipsa vero haec corporis nostri extrema, non minus suam sibi exposcere poterunt curam, cum iisdem male habentibus, ad quamplurimos labores et actiones, inter quas motum localem haud postremum esse censeo, ineptum corpus redditum, multis modis officio suo deesse cogatur. Ne proin tumoribus, doloribus arthriticis, clauis, etc. qua de re in superiore Dissertatione, §. IX. fusius actum fuit, liberior suppeditetur occasio, minus sane contra munditiei regulas peccari posse putauerim, si quando de densioribus cogitetur tibialibus, atque paulo laxioribus calceis, sic-quippe ingressui quoque optime consultum iri, neque titubante incedendum esse gradu, facile animaduertetur. Neque vero solum frigidiore tempestate huic esse morem gerendum consilio, existimandum erit, quin potius et aestiuo tempore tanto magis omnem intempestiuam refrigerationem noxiam euadere posse, euictum est, quo frequentius tunc pori patuli esse solent, quibus imprudentius obturatis, transpirationi, quae in extremis

Pedum et manuum munditiei nociua.

quoque largior esse solet, haud leue ponitur impedimentum, quo humorum aequilibrio, et exin pendenti partium robori nocetur. Eadem de flabellis, et frequente nimis camisiorum mutatione, minus apto tempore, mediosque inter sudores instituta, ominari licebit, quae munditiei species, quo minus culpanda est, vbi debito modo, atque corpore a sudore libero, haec suscipiatur permutatio, eo certius quoque sinistro neutiquam carere poterit euentu, vbi corpore nimium incalescente, et sudore largiore adhuc madente, frigida ipsi applicare linteamina, commodum visum fuerit. Quinimo et manus suos patiuntur manes, neque ab omni molestia immunes censeri possunt, cum in his saepius lauandis, vngendis, et oleis, spiritibusque fragrantissimis macerandis, haud infimae munditiei species ponatur. Maiore tamen velim circumspectione hic vterentur delicatulae, praecipue in saponis qualitate prius exploranda, ne acriore, nimiaque abstersione, cutis strigosa, horrida, squamosa reddita, ipsas ad seram imprudentiae rapiat poenitentiam. Exemplum esto in Turcarum gente, quorum cutis, frequentiore lotione, quam religionis iniungit seueritas, squamulis obsita, et deturpata conspicitur, referentibus hoc tam itinerariis, quam oculatis testibus, adeo, vt non nisi eadem fata, eundem imitaturis morem, polliceri possimus. Nimium autem vngendo, fricando, abstergendo, poros cutaneos vel nimium irritatos et patulos redditos, vel tandem obstructionibus obnoxios factos, officio suo perficiendo, nullo modo persistere posse pares, sicque seri perspirabilis aut fieri iacturam, aut, si ipsius intercipiatur egressus, stasibus et obstructionibus excitatis, peiorem corporis partium internarum et externarum, inde facile corruptionem contrahentium, euadere statum, tristioribus admodum effectibus sese manifestantem, nemo inficiabitur. Taceo, quae generi neruoso et capiti infertur, iniuriam, cum suaueolentia vix sine summo ferri possint incommodo, et praecipue lipothymiis, passioni hystericae, et vertigi-

nosis

nosis insultibus, vberrima in corpus saeuiendi suggeratur opportunitas *l*).

§. XI. Haud postrema quoque est, muliercularum praesertim mundities, qua conclauibus suis bene cupere videntur, dum pauimenta saepius scopis curantur repurganda, atque in iis verrendis famularum exercentur manus, ne *Conclauium repurgatio incauta.*

atria displiceant oculis venientis amicae m).

Frequentius insuper supellectilia pretiosa, vasaque, auro argentoque fulgentia, fictiliaque murrhina curantur detergenda, sellarum puluinaria, aulaea, conopaea, excutiarum ope a puluerulentis iubentur liberanda sordibus. Ast, quam improuide haec vtplurimum suscipiantur negotia, et quam parum ab incommodis, inde oriundis caueatur, in vulgus est notissimum. Adstant persaepe ipsae matres familias, atque medias inter has nebulas, ne officio suo desit famula, attentae sunt, vel et ipsae conclauium fores pariter ac fenestrae, aut plane non aperiuntur, aut citius quam euolauerant, vel dissipari poterant squalidi pulueris moleculae, occluduntur, vel et supellectilium repurgationem in loco remotiore instituere, negligitur, dumque sic aëris perspirabilis accessui via praecluditur, atque impedimentum ponitur, quo minus ipsius perflatu, egressum moliri possint impuriores particulae, easdem quantitate sua et grauitate, non posse non accessuris summam excitare molestiam, haud obscure coniicere licebit. Inquinatus quippe tanta puluerulentae congeriei copia aër, illicoque et frequentius inspiratus, pulmonibus vtique nociuus, tussique, difficiliori respirationi, atque tandem asthmaticis quoque inuasionibus proliciendis, admodum euadere poterit opportunus.

§. XII. Ad labores pergo muliebres, quos, si semper domesticae rei putaueris adaptatos, vereor, ne summopere fallaris. Miraberis potius ipsarum, in vestimentis acu pingendis, et *Labores muliebres intempestiui improbantur.*

l) Quae ex prudente *manuluuii* vsu sperari possunt commoda, habet MICH. ALBERTI in Dissertatione, Halae 1736. habita.

m) IVVENALIS *Sat. XIV. 65.*

et vario modo exornandis, dexteritatem, auro ſericoque fulgentes obſtupeſces inſtitas, veſtes ſinuoſas, collaria, redimicula, atque in haud vulgarem harum artificum rapieris amorem. In cauſas horum inquirere laborum non conuenit, quae pluribus munditiei veſtigiis ſatis ſunt conſpicuae, modum ſaltem, hic quoque non ſemper ſeruatum, diſquirere licebit. Aſſident autem iuſto diutius ſuis tendiculis femellae, atque pectus et abdomen nimium incuruando et comprimendo, nonſolum omnem circulo humorum praecludunt libertatem, ſed et colorum, quibus inter operas ſuas oculos intentos infigunt varietate, a viſus hebetudine vix tandem euadere poterunt immunes. Iamdudum autem inter morborum, ſexui ſequiori familiarium, cauſas non vltimas, vita ſedentaria, et motionis debitae defectus poſitus fuit, atque tanto magis perniciosa haec negotia futura, ominari licebit, quo certius, minus commodus corporis ſitus, hic inſimul accuſandus venit, dum hypochondriaco, hyſterico malo, praecordiorum anguſtiis, tributi lunaris parciori prouentui, ſubminiſtratur occaſio, vt taceam, non vnum proſtare exemplum, quo a corporis incuruato ſitu, curuaturam dorſi quoque ortam fuiſſe, conſtare poſſit.

Saltationis, et cantationis abuſus perniciosus.

§. XIII. Veruntamen et motioni ab aliis vacatur, quae, niſi nimia atque intempeſtiua fuerit, omnem profecto laudem mereri, neque vſu prorſus ſuo deſtitui poterat. Saltando, deambulando, cantando, et corporis agilitati haud parum additur, et ſenſibus quoque dulce conceditur oblectamentum, neque citra rationem, cum humorum languori, hoc quoque modo obuiam iri poſſe, omnium medicorum ſuadeatur conſiliis. Hac quippe motione recte inſtituta, vix credi poteſt, quantum corporis ſuccurratur vigori, et quam bene, ſi modice exerceatur corpus, humorum proſpiciatur circulo. Sic quippe, quae antehac minus commodo gaudebant ſitu partes, ad priſtinum vt redire poſſint ſtatum, diſponuntur, fluidorum ſtagnationi obviam itur, dum corpus modice incaleſcit, ſicque totius machinae robur ſenſim paulatimque reſtauratur. Quae exercitatio,

vti

vti nec viros plane dedecet, ita et mulieribus, vitae ſedentariae adſuetis, non omni modo diſſuadenda venit, cum variorum incommodorum, ipſorum ſexui propriorum, vel hac ratione anteuerti poſſint moleſtiae *n*). Quidni tamen et hanc exercitationem plus iuſto appeti, et ſub munditiei praetextu, atque ſanitatis conſeruandae cauſa, hic excedi poſſe, arbitrari poterimus? ſi quando choreas in multam noctam duci, quam ſaepiſſime animaduertamus. Hoc autem modo calorem naturalem augere, tranſpirationem nimiam excitare, ſpirituum torporem emendare velle, ſatis peruerſum videri poterit inſtitutum. Frequentioribus quippe tripudiis ſi corpus concutiatur, omnisque ſpirituum exhauriatur apparatus, robori eiusdem plus demi, quam ſuperaddi, ſponte ſua patet. Quo in paſſu praecipue vtero geſtantes velim ſint cautiores, ne a ſecundinis, hac conquaſſatione diſruptis, et orgaſmo nimio excitato, abortus ſubire cogantur diſcrimen. Idem iudicium eſto de voce, nimia cantatione exagitata. Multum quippe hic pulmonum adeo tenerae texturae iniungitur oneris, et quis neſcit, quam facili negotio, altius coacta vox, ob aërem frequentius inſpirandum, pulmonibus premendis, imo denique lacerandis, apta fieri queat, quinimo et, cum muſculi abdominales non plane hic otioſi ſint, ſed ſuam quoque conferant ſymbolam, praeter haemoptyſeos, vomicae, etc. herniarum quoque non penitus euitari poterit periculum. Quamobrem et hic modum vtique tenendum eſſe, prudentiae ſuadebunt regulae, dum, quae a parciore motione experimur mala, ſi nimio in motione corrigi tententur exceſſu, aliis non minus ſuſpectis morbis locum concedant. Verum, ſatis eſto, rem habuiſſe cum femellis, atque

proſit mihi, vox dixiſſe puellas.

Literatorum morbi, a ſitu corporis minus commodo.

§. XIV. Tranſeundum nunc ad viros, in quibus vnus alterue munditiei affectatae abuſus, tribus tantum veniet diſquirendus verbis, ne his nimium indulgere voluiſſe videar, atque ſtudii

n) Vid. IOH. FREINDII Tract. *de fluxu menſtruo.* item BAGLIV. Oper. Med. pag. 616.

ſtudii partium accuſari poſſim. Ampliſſimum equidem et hic mihi, in varios, circa munditiem virilem errores excurrendi, apertum praeuideo campum, verum, in omnibus ſigillatim enumerandis, quis dicendi foret finis, vix diuinare valeo. Sufficiet, ex pluribus pauciſſimos produxiſſe, ipſorum ſexui vel ſaltem familiares, vel iure poſſeſſionis tamen proprios. Quamvis enim inficias ire nemo queat, multa eſſe, quae vtrique ſexui in hoc paſſu cenſeri poſſint communia, hoc tamen et euictum eſſe opinor, culpa virorum neutiquam fieri, ſi quando a ſexu ſequiore, prauos aliorum mores imitandi cupidine ducto, iura eorum turbentur, ſiquidem et auiditatis et temeritatis ſuae iuſtas iamtum inde tulerunt poenas, quod, dum beneficia ſexus ſui, vitia virorum imitando, perdiderunt, feminamque exuerunt, virilibus quoque damnatae fuerunt morbis *o*). Prodeant praeprimis in ſcenam laborioſi, eruditi, lucubrationibus ſaepius vacantes, qui, ne medios inter labores ſanitati ſuae male fiat, de ſitu corporis commodo, dum ſcriptioni operam dant, cogitare ſolent. Vt vero commoditati fiat ſatis et munditiei, pulpitorum varia excogitata fuerunt genera, quibus in muſaeis paulo preſſius, et per plures horas aſſidentes literati, dum de negotiis peragendis meditantur, ſenſim paulatimque variorum incommodorum cauſam ſuſcitant. Sic quippe, abdomine diutius incurvato, et viſceribus, ibidem liberrimum flagitantibus motum, compreſſis, ſtagnationi fluidorum, indurationi ſolidarum partium, et, verbo vt me expediam, decantatiſſimo hypochondriaco malo, fixa paratur ſedes, adeo, vt, quam multo labore foenerari ſibi cupiebant famam, tanto carius ſibi comparent, quo ſollicitius eandem cum ſanitatis venari ſtudent diſpendio. Annectendas hic admodum commode noui varias conſuetudines, dum, vel veſtimentis nimium calidis, hyberno tempore etiam intra conclauia corpora teguntur, et ſic vires, meditando iamtum haud parum fractae, exhauriuntur, vel, qui inter negotia pro-

o) SENECA Epiſt. 95. *De morbis feminarum virilibus*, iuuabit legiſſe MICH. ALBERTI Diſſert. Halae 1738. habitam.

prorupit ſudor, intempeſtiua veſtium depoſitione, vel camiſiorum mutatione turbatur, ſicque ſtagnationibus, inflammationibus, viſcerum infarctibus, tuſſi, aſthmati, hydropi, pluribusque malis pronus conceditur acceſſus. Conclauium inſuper ipſorum paulo propius diſquirere conditionem, caminorum exponere moleſtias poſſem, verum, cum crambe ab aliis ſaepius appoſita, iamtum taedioſa ſatis ſit, eandem hic recoquere non conueniet, dolendum tamen, viros adeo graues, fama meritisque celebres, ſui officii ſemper, ſanitatis tamen parcius memores, fato duriori ante diem, propria culpa ſuccumbere velle.

§. XV. Videtur etiam, neſcio an commoditatis, an munditiei prodi poſſe ſpecies, quando calori intempeſtiuo corpus ſaepius exponitur, adeo, vt non omni modo cum iis faciendum eſſe credam, qui aërem liberiorem et puriorem fugientes, intra conclauia calidiora lubentius deliteſcere cupiunt, quam aëris boni et temperati, imo et frigidioris nonnunquam afflatu vti. Vix enim erit, qui inficias ire cupiat, frigidiore ab aëre, corporis fibras reddi robuſtiores, easdemque ſtrictiores, ad officia ſua ſubeunda promtiores eſſe, adeo, vt e contra ſponte ſua pateat, easdem a calore fieri remiſſiores, magis eneruari, humorum affluentium iuſta quantitate priuari, et vigoris multo imbecilliorem gradum intra corpus perſentiſci, vnde facilius laboris pertaeſos reddi tempore calidiore mortales animaduertimus, quam quidem frigidiore tempeſtate vrgente. Id equidem aſſerere non auſim, quouis tempore frigidiore aërem quaerendum eſſe, cum non ignotum eſſe poſſit, quantum detrimenti variis actionibus vitalibus et animalibus, vel a rigiditate partibus inducta, vel a tranſpiratione et reſpiratione laeſa, conciliari queat, eundem tamen plane abhorrere, et nihilo ſecius bene valere velle, vix poſſibile fore, credo. Sanguinis quippe et humorum circulus, ab aëre calido, nimiumque expanſo, vltra modum concitatus, chylificatio impedita, reſpiratio, ob ſanguinem non conuenienter refrigeratum, difficilior reddita, non poterit non debilitatibus et doloribus capitis, anheloſitati, *Caloris nimii detrimenta.*

cruditatibus, et id genus incommodis, liberiorem ſternere viam, quae cuncta facile ſatis euitari poterant, ſi modo, quem natura conceſſit, liberioris et purioris, frigidi quoque aëris vſum, non plane timere luberet *p*). Vti enim virium iactura, vix ſemper reparanda, atque torporis et ſegnitiei habitus, ab hoc viuendi modo certiſſime fere metuendus eſt, ita ab alterno, tam calidi quam frigidi aëris vſu, cuius viciſſitudinem, inter non infima ponere decet Creatoris beneficia; recte inſtituto, bona quaeque ſperari poſſe, nemo erit, qui ſecus ſentire cupiat. Hinc et eſt, quod aërem calidiorem, et variis inquinamentis conſpurcatum, in aegrotantium conclauibus, variis artibus emendandum, medici prudentiores ſuadeant.

Ciborum varietas ſuſpecta.

§. XVI. Opulentiorum nunc ingredi conclauia, et quantum ſibi, aliisque placere geſtiant, breuibus diſpicere, volupe eſt. Veniam audaciae huius me eo certius impetraturum, confido, quo ſinceriore ductus affectu, ipſorum domos, omnibus honeſtioribus patulas, non nouitatis cuiusdam captandae, ſed munditiei mirandae gratia, fugitiuo ſaltem oculo percurrere conſtitui. Conuenitur ad epulas, vrbanitatis et amicitiae declarandae, oblectamenti quoque cauſa; ita tamen inſtructas conſpicies menſas, vt multitudini ciborum ſuſtinendae vix exiſtant pares, Naſidienique beati hic degi vitam, credideris. Quicquid vndique noui, ad palatum oblectandum, congeri poterat, conquiritur, et, ne vllo modo officio ſuo quisquam defuiſſe videatur hoſpes, cogitatur. Haec vero magis forſitan ad luxum pertinere quam ad munditiem, non ſine ratione obiici poſſe, praeuideo. Verum, ſalua adhuc res eſt, cum non ſemper luxus cauſa ad conuiuia conueniri a viris grauibus, atque ab omni hoc crimine vacuis, ſciamus, nam

narratur et priſci Catonis
ſaepe mero caluiſſe virtus q).

neque

p) Plura ad hanc rem facientia habet Illuſtr. PLATNERVS in Progr. *de Somno in cubiculis percalefactis*, anno 1741. edito.

q) HORATIVS *L. III. Od. 21.*

neque viros, temperantiae caeteroquin ſatis ſtudioſos, vel hac de cauſa velim cenſendos, quod quandoque, donec

iniiciat radios in ſua vina dies r),

potationibus vacent, ſiquidem non tam cum apparatu numeroſo ferculorum, alio tempore diſquirendorum, rem mihi futuram profiteor, quam potius cum ipſa nitidiſſimorum ciborum qualitate. Hic ſane munditiei affectatae, noxiaeque tandem euaſurae, veſtigia quaedam, non obſcure detegi poſſe, perſuaſum mihi habeo, quamuis et in ipſa ciborum multitudine, non vnum morborum fontem detegi poſſe, facile perſpici poſſit, adeo, vt pauperiores, ſimpliciore et parciore victu contentos, multis modis, dum conſtante magis fruuntur ſanitate, feliciores praedicandos, antiquiorum temporum iudicauerint ſapientes, etenim

plerumque gratae diuitibus vices,
mundaeque paruo ſub lare pauperum
coenae, ſine aulaeis et oſtro,
ſollicitam explicuere frontem s).

Quo itaque ſapidiores deprehendimus cibos, belle praeparatos, ſuoque ſtatim aſpectu omnes ad ſui vſum inuitantes, eo certius de munditie, hic vbiuis conſpicua, iudicare licebit. Ipſa vero cupediarum harum indaganda erit varietas. Calida frigidis, dulcia amaris mixta, ſalſa, fumo indurata, pinguia, lacticinia, fructus horaei, ſacharo muriaque conditi, apponuntur, comeduntur, vinum dulce auſteriori interponitur, aqua glacieque diluitur, quae omnia, an laudabili ſucco nutritio conficiendo conducant, vix mihi vnquam perſuadere potero. Mirum ſane hoc Chaos, in ventriculo confuſum, miris quoque effectibus, facili negotio exin expectandis, optimam parere poterit opportunitatem. Vix enim, ac ne vix quidem boni chyli praeparatio, a

r) PROPERTIVS *L. III. Eleg. 6.* s) HORATIVS *L. III. Od. 29.*

partium adeo ſibi contrariarum confluxu ſperanda eſt, vnde, cum a cacochymia ad cachexiam non adeo remota ſit via, ob ſanguinis et humorum miſcelam vitiatam, ipſa nonſolum nutritio minus ex voto ſuccedere poterit, ſed et, cum ab eius bonitate, ſolidarum partium pendeat integritas, atque negotiorum per easdem perficiendorum vigor, harum quoque functionibus haud leue poni poterit impedimentum. Niſi enim, vti antiquum illud habet, bene ingeratur, et bene digeratur, egeſtio quoque bona fruſtra expectabitur. Adderem hic, nec ſine fundamento forſitan, ipſius coenae, in multam noctem protractae incommoda, quibus ventriculo, digeſtionis officia ſubituro, onus iniungitur, ipſius viribus minus proportionatum, vnde dolorum grauatiuorum, nauſeae, ſomni turbationum, ſudorum nocturnorum, triſtiores promanant effectus; iungerem moleſtias a conclauibus, numeroſiſſimis candelis et lampadibus illuminatis, metuendas, atque, quantum lumine adeo copioſo viſui officiatur, et quantum a fumantium candelarum fuliginibus aër conſpurcetur, et reſpirationis liberioris functio paulatim labem contrahere poſſit, exponerem, fuſiore tamen plurium conſuetudinum enumeratione, cum taedioſus euadere nolim commentator, pauca haec monuiſſe, ſufficiat.

A medicamentis nec eſt abhorrendum, nec iisdem ſine cauſa vtendum.

§. XVII. Vnicum ſaltem adhuc, antequam pedem hic figam, ſuperaddere liceat momentum, eo minus hic forſitan intermittendum, quo certius eſt, plurimos in tam numeroſa mortalium eſſe cohorte, qui quodam hic indigeant monitorio. Abhorrentiam a medicamentis puto corrigendam, cum ſaepius ſub munditiei tegmine, reniſus pertinacior occultatus deprehendatur, et, quae anxie appetebatur ſanitas, tanto in remedia ſalutaria odio intercipiatur, vel certe ſerius impetretur. Iam quippe nunc nimium ſuaue olentia, iam grauiore et inamoeno praedita odore medicamenta, minus cenſentur digna, quibus corpus inquinari debeat, et quae ſpem felicis euentus, exoptato

pro-

prodere possint effectu. Proscribenda iudicantur naribus inimica, gustui molesta, delicatiora potius appetuntur, quae coloris splendore, odoris suauitate, saporis dulcedine, pretii grauitate, titulique pompa placere possint, cum a caritate, et inscriptionis sesquipedalis ampullis, etiam non raro ad effectum nobiliorem valere credatur consequentia. Quod, nisi fiat, et simplicium, vulgatiorum, et minus amoenorum pharmacorum vires magis commendentur, immorigeros miraberis aegros, inscitiam vel negligentiam medici accusaturos, atque, quem citius sublatum optabant morbum, hac sua impatientia protracturos. Sunt vero et alii, nihil quidquam sentientes incommodi, timidiusculi tamen, qui sub praetextu, corpus ab impuritatibus saepius purgandi, humores corrigendi, vt morborum, quos expauescere non opus erat, inuasioni via praecludatur, medicamentis laxantibus, sudoriferis, confortantibus, refrigerantibus, iusto saepius, et absque vlla indicatione vtentes, illudque tristissimum: *principiis obsta*, sinistre satis interpretantes, vix diem absque medicamentorum vsu consumere solent. His sane, quod frustra prius timebant, nimia hac corporis sui cura facillime euenire posse, non sine ratione ominari velim, cum naturae ordinem temere turbare velle, idem sit, ac morbos, inuitos quoque, blandis inuitasse irritamentis, vnde nec mirum, si quando posthac variis incommodis, inuasionem tentantibus, ex voto resisti nequeat, cum, quae in alteram degenerauit naturam, remedia capiendi consuetudo, vel maxime obsit, quo minus his armis hostis pertinacior depelli queat.

§. XVIII. Tandem, nec mortuis sua denegatur munditíes, qua, vt viuis post mortem quoque molesti esse possint, allaboratur. Honestius autem ipsa defunctorum corpora habenda, neque squalore obsita, terrae esse mandanda, humanitatis et prudentiae regulis conuenit, imo, nec statim eadem sepelienda esse, variae imperant causae, adeo, vt et maturam sepultu- *Munditíes circa funera et sepulchra.*

ram, ſuperiores omni interdicendam voluerint iure *t*). Obtemperatur legibus, detinentur per duos pluresue dies funera intra domicilia, oſtentationis tamen magis, quam affectus in obiectum lugubre teſtificandi cauſa. Veſtibus ornantur ſplendidioribus corpora, morbi truculentia ſatis decolorata et confecta, conſpectui et iudicio, confluentis ad domum feralem turbae exponuntur, et quae tegenda potius non raro erant, et loculis occludenda cadauera, oculis et naribus adſtantium ſatiandis, non vt mortalitatis ſuae meminiſſe diſcant, ſed vt ſpectandi expleant cupidinem, aſſeruantur. Quid vero, quaeſo, opus erat, corporis fragilitatem, ipſa morte luculenter ſatis confirmatam, ſplendida iſta infucare velle miſeria? an quemquam hoc modo ad mortis deſiderium raptum iri, putabitur? an potius prudentius erit actum, ita curare exanimes, ne etiam viuentibus, meticuloſis praecipue et delicatulis, taedium pariant effluuiis ſuis, quae perſaepe a mortis momento ſtatim, pro morborum conditione, e corporibus diſſipantur, nec ab omnibus ferri poſſunt, praeſertim, cum nec ignota ſint, nec adeo rara exempla morborum, imo mortis, a metu, et funerum exhalationibus, vel et ſolo ipſorum aſpectu, contractae. Quapropter non minus hic vituperanda quoque venit, quae circa ſepulchra obſeruatur munditie, multis propemodum pernicioſa futura modis. Magnifica exſtruuntur cenotaphia, cryptae, in quibus oſſa defunctorum, quo ſplendidius, eo mollius quoque quieſcere creduntur, cum eadem terrae profundius mandare velle, vulgare nimis, vel minus decorum omnibus videatur. Apertae autem relinquuntur cryptae, et cancellis ſaltem obfirmatae ſaepius conſpiciuntur, vt ſic liberiori cuiusuis pateant conſpectui funera, ibidem recondita. Anne vero conueniebat

t) ORDIN. ECCLES. *Artic. gener. XV*. pag. 55. ante duodecimam a morte horam, ne quis ſepeliatur, prohibet. In *Legibus XII. Tabb.* quoque, ne ante nonum diem, demortuus ſepeliretur, interdictum erat.


bat imprudente hac cadauerum expositione, viuorum obesse sanitati? cum, qui ex tumbis istis prodit teterrimus et putredinosus foetor, satis moleste praetereuntes ferire soleat, atque aërem multis impurioribus inquinet effluuiis. Talia videlicet myasmata ipsi facile commisceri posse, per naturam eius patet, cum fluida eius qualitas commoda admodum sit, quae istis impraegnari possit particulis, atque corrumpi. Corruptum autem aërem intra cryptas detineri, vix est qui dubitet, cum nonsolum omnis aër, cui libertas perspirabilis deficit, quique magis occlusus est, mora sua peior euadat, sed, et prauitatis suae haud obscura sensibus prodat documenta. Vbi proin antehac ita clausus intra loculos tenebatur, atque ex iisdem, aetate tandem fractis et exesis, exitum tentat, non poterit non impuriorum molecularum agmine, quo alia corpora ambit atque intrat, variis perniciosis euadere idoneus commotionibus. Cum vero et ipsae, ex cadaueribus recentioribus prodeuntes exhalationes, nociuae iamtum sint, vti et ita iudicasse Facultatem Medicam Lipsiensem, ex AMMANNI *Medicina critica, Cas. 82.* constat, quanto maius detrimentum corpori humano conferri reputabimus, ab effluuiis tetris, putidisque cadauerum, quouis genere morbi extinctorum, adeo, vt, si terrae profundius mandata fuerint, vel cryptis, firmissime occlusis tegantur, tantum ab ipsis, quantum a negligentiore humatione, vix metuendum sit nocumenti.

§. XIX. Sed, satis esto, de tam iucunda malorum causa, inamoenis tandem effectibus progenerandis apta, potiora calamo exposuisse festinante. Non deerant fateor, plura, quae superaddi poterant, lectoribus tamen neque molestum esse, neque in re, plurimis forsitan odiosa, taediosum agere conueniebat commentatorem, cum curiosioribus non multitudine materiae, et copia dictorum, sed prudentioribus veritate magis et breuitate placere cupiam. Quod si etiam quandoque *Conclusio.*

ad

ad luxum magis, quam munditiem, nonnulla pertinere potuisse videantur, facile et hic me veniam impetraturum credo, cum non sit ignotum, luxum quoque sub munditiei specie frequentissime occultari solere, vel, vti sub initium scripti monui, ab hac ad illum, haud adeo remotam esse viam. Media incedere via, tutissimum erit, cum optimum, antiquissimis iamtum seculis datum consilium, rebus per se innocuis, abusu autem satis suspectis euadentibus, sapienter vti suadeat. Sic et tu, L. B. hisce prudenter obseruatis, variis morbis, sponte inuitatis, et debilitate, ante diem molesta tibi futura, carebis,

et tempora vitae
longa tibi posthaec, fato meliore dabuntur.



DISSERTATIO V.

DE

MORBIS EX OBLECTAMENTIS,

HABITA D. XXIII. AVG. MDCCXLVIII.

PETRONIVS.

Non vno contenta valet natura tenore,
Sed permutatas gaudet habere vices.

---

§. I.

Vitae inconstantioris amor.

Vitae iusto capimur omnes amore. Omnes communis huius, quod a natura nobis datum est, muneris, mira trahimur dulcedine, eiusdemque durationem vel perenniorem optamus, vel haud ita facile fore destruendam, peruerse in eiusdem vires impetum saepius faciendo, incauti opinamur. Inconstantiam tamen ipsius, variis sese prodentem modis, intra nos ipsos attento paullum animo conuersi, haud obscure experimur, huiusque depositi tandem, cito satis reddendi, certum, quamuis incerto termino finiendum tempus, quotidianis confirmatum praeuidemus exemplis, tantoque magis ad istius beneficii diuturniorem possessionem, omni, qua fieri potest cura, conseruandam incitamur, quanto grauioribus, et inopinatis calamitatum turbis, vel citra nostram culpam, vitam humanam saepenumero esse expositam, intelligimus. Ecquae enim aetatis pars morborum numerosissimis vacabit miseriis? Vix quippe ex materno moliti sumus egressum ergastulo, cum aduentus nostri iamtum ploramus molestias, et futurorum incommodorum verissimi sumus augures, atque hoc ipso, quo viuere incipimus momento, vitae breuitatem, paruuli adhuc dolemus vates, insimulque ex aerumnis, pleno posthac agmine, per omnem

nos aetatis decursum inuasuris, certissimo edocemur praesagio, quod,

cum varii eueniant humana in gente labores,
inde breuem capiant mortalia tempora vitam a).

Neutiquam enim adeo ignaros nos esse voluit natura futurorum, quibus ad mortem rapi denique debeamus, moliminum, quin potius in iisdem satis frequenter sentiendis, mentes mortalium indesinentibus exerceat monitis. Membrorum fragilitatem, humorum cursum facile turbandum, laborum seriem, curarum molestias, fortunae inconstantioris aduersitates, morborum foecundas, nobis crebrius obuersari voluit causas, ex quarum effectibus tristioribus, nisi plane ferrei, omnique rationis vsu cupiamus esse destituti, haud obscure hariolari conueniat, non nisi in futuram nobis aliquamdiu viuendum esse mortem. *Vitae incommoda emollire licet,* Leniendis tamen et emolliendis hisce miseriis, innumera nihilo minus nobis a natura quoque offerri adminicula, quorum ope tutius atque dulcius viui possit, maxima cum voluptate animaduertimus, in quorum prudentiore vsu, summi fere, quod in hac vita sperandum sit boni, poni posse acquisitionem, omnibus calamitatibus superiorem, antiquissimorum temporum sapientes, compluribus dictorum et factorum declarauerunt documentis. *voluptatibus,* Ipsam nempe naturam, licitarum agnoscebant voluptatum matrem, eiusdemque munera aspernari velle, turpe ducebant, siquidem liberis et ingenuis hominibus nihil magis competat, quam delectationum nobiliorum iucunditas, qua animus a curis relaxari, atque ad maximi huius boni quaestum, cum gaudio pertingere possit b). Commendat inde ANTIPHANES voluptatem, tanquam bonum, talem tamen, *cuius non poeniteat* c), atque haec ἡδονὴ ἀμεταμέλητος, virtute semper comite ducta, atque sapienter administrata, tanto minus mor-

a) ALCIMVS AVITVS *L. I. v. 1.*
b) HERACLITVS PONTICVS *de voluptate*, apud ATHENAEVM *Libr. XII. cap. 1.*
c) ATHENAEVS *Libr. XII. cap. 11.*

mortalibus, bene viuere cupidis, est deneganda, quanto certius, saluberrimi effectus, ex amoenitatum licitarum vicissitudine, ad nostra corpora redundantes, ipsique menti reficiendae aptissimi, sperari possunt. Et, quamuis haud paucos, in voluptatum, licitarum quoque, nimio vsu, modum vix semper tenentes, indeque damnis pene multis, vltro inuitatis, vberrimam suppeditantes deprehendamus occasionem, tantum tamen abest, vt noxarum istarum causam, in solis oblectamentis quaerere conueniat, vt potius immodico saltem, atque praepostero eorundem vsui, cuiuscunque infelicioris progeniei deberi prouentum, vel sponte sua pateat. Vti nempe medicamento, licet optimo, intempestiue vtens, non medico, vel medicinae, sed temeritati suae, noxas inde productas, adscribere debebat; ita et ex rei, per se innocuae, sinistro vsu, detrimentum capientem, non nisi propriam accusare decebit imperitiam. Cum vero varius sit oblectamenta capiendi modus, atque cum ingenia hominum, modum frequenter tenere nescia, atque similitudinis facile pertaesa, in nouis, quotidie fere excogitandis, aut parum feriari, aut praesentibus vix satiari posse, sciamus; ita et absque multo coniicere licebit labore, non omnia omnibus subiectis, omnique tempore proficua esse posse, adeo, vt et hic prudentiore opus sit moderamine, ne, dum nimium corporis datur curae, vel ipsum in otium atque luxum prono diffluat impetu, vel tandem, viribus clanculum exhaustis, tanto maioris doloris principia, ex gaudiis intempestiuis percipiantur. In quorundam itaque oblectamentorum disquisitione dum occupari, atque intempestiuum, vel nimium eorundem vsum, perniciosum sistere lubet, tanto minus, me seueriorem futurum censorem, atque omni delectationum vicissitudine mortales interdicturum, suspicandum, quanto grauius aliorum me detestari morositatem, profiteor, qui nihil plane sibi aliisue indulgendo, et Stoicorum more austeritatem affectando, nescio quod autoritatis in alios sibi datum esse iuris, aut somniant, aut operosius contendunt, omnemque sanitatis, in abstinentia a rebus plane indifferenti-

modice vsurpandis.

Transitio ad tractationem.

bus, poſitam eſſe partem, ſiniſtre iudicant; cum potius maxima propemodum, ex earundem cauto delectu, ad vitam, ſanitatemque humanam redundare commoda, non niſi a deſipiente fugienda et improbanda, innumeris rationis et experientiae doceamur teſtimoniis, adeo, vt nihil obſit, quo minus NASONIS veriſſimae ſubſcribendum ſit ſententiae:

quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Quaedam veterum oblectamenta.

§. II. Ad antiquas oblectamentorum quorundam origines paullum tantum recurriſſe, non poenitebit. Varia autem obtinuiſſe olim oblectamentorum, ludorum, ſpectaculorum, exercitiorum, aliarumque recreationum, publicarum praecipue genera, in quarum vſu, tum ad pompam faciendam, tum ad animum a negotiis relaxandum, plurimarum ciuitatum poſitam fuiſſe curam, neminem, antiquiorum factorum gnarum, fugiet. Diuerſum nempe in finem, ludos, publicasque celebritates, praecipue a romanis inſtitutas fuiſſe, hiſtoriarum monumenta docent. Aut enim ad deorum iram placandam, aut pro populi ſalute conſeruanda, aut ad ciuium gratiam demerendam ſuſcipiebantur, atque tum religionis, tum et voluptatis nonnulla monſtrabant veſtigia. Debentur vero ROMVLO victimae, quem primum oblectamentorum publicorum autorem, vti et vrbis conditorem, celebrant antiquitatum romanarum ſcriptores, cuius an exemplo ducti poſthac reges, conſules, et imperatores, an vero voluptatum potius amoenitate capti, ludorum et oblectamentorum noua ſubinde excogitauerint genera? hic diſquiſiuiſſe, alienum nimis a re fore, cenſeo. Certum interim eſt, romanos, antequam ſimplicitatem et ſeueriores mores cum luxu commutarent, generoſioribus et laudabilibus ſeſe exercuiſſe ludis, atque vitae longioris, felicitatisque publicae conſtantiam, inde praemii loco reportaſſe.

Namque curſu, luctando, haſta, pugillatu, pila,
ſaliendo ſeſe exercebant magisquam ſcorto aut ſuauiis,
ibi ſuam aetatem extendebant d).

Non-

d) PLAVTVS *in Bacchid. Act. III. Scen. 3. v. 24.*

Nonſolum vero laetitiae publicae praecipue cauſa, ludos fuiſſe ſuſceptos, ſed et in funeribus celebrandis, defunctorum haeredes, vel et aediles, curam poſuiſſe ſuam, notum eſt *e*). Ludis interim non ſemper vacabant, ſed certa tantummodo die, certoque anni tempore ad eosdem conueniebant. Sic ludis *Martialibus*, in Martis honorem celebrandis IV. Id. Maii dictus erat dies, IV. Cal. Maii *Floralium* erat ſolennitas, vbi

conuenere patres, qui, ſi bene floreat annus,
numinibus magnis annua feſta vouent f).

Incertum tamen quorundam erat quoque tempus, vti ludorum *votiuorum*, qui tempore belli, vbi a magiſtratibus vota nuncupabantur, inſtitui ſolebant; ludorum *victoriae*, poſt hoſtes deuictos celebratorum, quorum omnium finem, in animo potiſſimum oblectando, et corpore inſimul exercendo, poſitum fuiſſe conſtat. Eadem erat ludorum apud graecos, romanis antiquiores, conditio, ſiquidem *gymnicos* Lycaon, *funebres* Acaſtus in Iolco, poſthac Theſeus in Iſthmo inſtituebat *g*). *Olympicos*, aliosque vt taceam, quorum exercitio corpora robuſtiora et vegetiora fuiſſe reddita, non ignoramus. Vnde et pari de cauſa, priſcorum Teutonum, adeo multis elatam laudibus legimus, animi corporisque fortitudinem, non niſi per exercitia, luctationem, torneamenta, idque genus alia oblectamenta, confirmatam, atque poſteros, eiuſdem gloriae cupidos, ad ſui imitationem trahentem. Verum, quis eſt, qui neſciat, non omni plane abuſu iſthaec caruiſſe oblectamenta, atque praeter romanos

e) Vid. ROSINI *Antiquit. roman. L. V. c. 25.*

f) OVIDIVS *Faſtor. Libr. V 327.* Huius *Floralium* temporis, alio quoque pleniorem facit mentionem loco, *Faſtor. L. V. 183. ſq.*

Mater ades florum, ludis celebranda iocoſis,
\- - - - -
Incipis Aprili, tranſis in tempora Maii,
Alter te fugiens, cum venit alter, habet.

Eodem Aprilis menſe *vulpinalia* colebantur, de quibus OVIDIVS *Faſtor. L. IV. 598.* ita habet.

Cur igitur miſſae iunctis ardentia taedis
Terga ferant vulpes, cauſa docenda mihi eſt.

g) MORESTELLVS *Pomp. feral. L. VIII. 19.*

nos et graecos, praeprimis athenienses, alias quoque gentes, hisce voluptatum licitarum deliciis captas, illicito et pernicioso tandem earum vsu, celebritatis et sanitatis non leuem subiisse iacturam, postquam praecipue

infudere epulas auro, quod terra, quod aër,
quod pelagus Nilusque dedit, quod luxus, inani
ambitione furens, toto quaesiuit in orbe,
non mandante fame b).

Quos mores, infelice certe quodam traduce, ad nostra quoque tempora propagatos, atque infelicioribus insuper accessionibus auctos, quamuis qualibuscunque hisce monitis vix emendatos fore, facile praeuideam, omni tamen non plane indignos fore animaduersione, tanto certius existimo, quanto magis reipublicae famam atque salutem, dulci hac causa sensim infringendam et corrumpendam, periclitari posse, suspicandum est.

Somni dulcedo, cunarum agitatione inuitata.

§. III. Inde a prima statim aetate, variis oblectamentorum, quamuis adhuc leuiorum, assuescimur generibus, inque varias artes ingeniosum esse parentum aut nutricum amorem, quibus tenellorum animos reficere, corpora exercere, ipsorumque sanitati prospicere possint, non sine admiratione saepe intelligimus. Atque primum fere, quod a natiuitate infantulis datum est negotium, cum in somno consistat largiore, ad eundem placidum et tranquilliorem ipsis comparandum, omne, in agitatione corporis per cunas, quaeri solere adminiculum, abunde compertum esse puto. Siue dormire velit, siue nolit, perpetua vertitur volutatione pusio, atque tempori, quo nutrici placebat, obsequiosus esse cogitur. Saepius ipsi de die dormiendum est, atque saepius hinc quoque cunis agitandus. Nihil est, quod plane reprobandum velim, in hoc, somnum inuitandi modo, ipsis adultioribus non plane dissuadendo. Leniore enim hac motione, sensim paulatimque spiritus delassari, atque ad quietem tandem membra componi, experimur. At, si moderatioris agitationis non teneantur limites, et iactando, diutiusque

b) M. LVCANVS *Pharsal. Libr. X. 156.*

que voluendo, corpuſcula fortius commoueantur, quid mirum, ſi ſpirituum conturbatio, confuſioque ſuccedens, ſtupiditati commodiſſimam paret occaſionem? Parum enim ferre poſſe cerebrum adultiorum conquaſſationem, aut nimiam violentamque commotionem, in nobis ipſis facile experiri licebit, quanto vero maiora damna cerebro tenellorum illata fore reputabimus, adeo molli, minusque adhuc firmato, vt vel leuiſſimae iniuriae impetu protinus laedi, atque ad vertiginoſos praecipue inſultus diſponi poſſe videatur. Quinimo et reſpirationi haud leuem poni remoram, facile iudicare conueniet, cum concitatiore motu ſuſcepto, aëri liberiori moderatius capiendo, opportuna praecludatur via, quem, quo impetuoſius trahere cogitur dormiens infans, tanto moleſtiorem pulmonibus, huius irruptioni acceleratae nondum ſatis paribus, extituram eius molem, haud obſcurum eſt; neque prorſus dubitare velim, cardiogmi, quo ſaepius vexantur infantuli, haud infrequentem inde deducendam eſſe cauſam, ſiquidem et vomitionum frequentiorum originem, ab hac circumagitatione minus moderata, qua ventriculo, nunc huc nunc illuc nimium iactato, in alimentis nedum quidem ſatis ſolidis, debite continendis, impedimentum ponitur, hic non ita abſone interdum quaeri poſſe, non plane negare auſim. Vnde feliciores certe iudicandos cenſeo prae nobilioribus infantibus, pauperiores, quos tanto minus horum incommodorum pericula ſubituros, augurari poſſumus, quanto parcius ipſos intempeſtiua hac fatigari motione, ſcimus *i*).

§. IV. Eadem propemodum de ratione, non omni plane ſuſpicione carebit, illud teneriorum adhuc infantum oblectationis genus, quo, ſub motionis inſuper praetextu, equis ita paratis inſident, vt extenſis cruribus, oſcillationi ibidem indulgere poſſint. Perpetua hac quippe motitatione, aequalibus vicibus *Equitatio paruulorum.*

i) Quantum cunarum agitatio, tam in morbis variis proficua ſit, quamque nimia noceat, ex inſtituto erudite admodum expoſuit B. PLATNERVS in Progr. *de ſomno infantum ex cunarum agitatione*, Lipſ. 1740. edito.

vicibus nequidem ſemper ſuccedente, nihil minus, quam corpori vel leuiſſimam parari acceſſionem, vel inde veroſimile videtur, quod omnis, quae cum fatigatione fit exercitatio, teſte CELSO *k*), magis eneruando, quam ſtabiliendo corpori, praeprimis adeo adhuc infirmo, inſeruiat, cum neceſſario nimia hac, quae ſudando et inſenſibilius tranſpirando ſubtrahitur humorum copia, aequilibrii quod cum ſolidis tenendum eſt, proportio, ſummo cum nutritionis intercipienda ſit detrimento. Ipſum quoque caput praeter corpus, vix ſine ſenſus incommodioris moleſtia, ſuccuſſationem hanc immoderatam tolerare valere, atque ab omni turbulentiae liberum fore damno, faciliſſime augurari poterimus, cum, quae ab adultioribus et robuſtioribus vix commode ſatis feruntur, tanto minus imbecillioribus promiſcue concedi debeant. Praeprimis tamen expanſione et diductione femorum, atque accedente iactitatione, partibus inferioribus, facile diſtendendis, haud leuem addi violentiam, imo haud raro herniis parari poſſe occaſionem, dudum inter pathologos conſtitit *l*). Corpore vero nunc, creſcente aetate firmiore paullum reddito, cumque ad pueriles propius deuentum fuit annos, animos quoque petulantiorum, ad oblectamenta varia ſibi ſponte quaerenda, imo noua ſaepius paranda ferri, haud mirum, ſiquidem nonſolum prona magis ad voluptatem, iuniorum ſunt et abſque duce ingenia, ſed et,

cum nullum careat exemplo nefas,

aliorum incitari facile ſolent nequitiis, quas imitaſſe, imo ſuperaſſe, vix vnquam poenitet. Frena tamen tanto fortiora hiſce iniicienda erunt conaminibus, quanto minus,

dum iuuenilibus annis
luxuriant animi m),

noxarum inde oriundarum grauitatem praeuidere, oblectamentis

k) *Libr. I. Cap.* 2.

l) Habet inter alias herniarum cauſas, equitationem quoque LANGIVS Oper. Medic. Tom. III. Diſput. XXXVII. *de herniis inteſtinalibus et omentalibus* §. 4.

m) OVIDIVS *Faſtor. Libr. III.*

tis intempeſtiuis ſeducti incautiores, et cuſtode carentes adoleſcentuli conſueuerunt. Sunt quaedam oblectamentorum puerilium genera, quibus, ſi moderatius vti lubeat, haud parum commodi in corpore exercendo, membrisque paulatim firmandis, imo ingenio praeterea acuendo deberi, haud negandum, quorum tamen immodico nihilo minus vſu, facili propemodum negotio, contrarius plane obtineri poterat effectus. Frequentiſſima fere eſt curſitatio, nunc ad metam quandam directa, nunc in gyrum facta, nunc alio, quocunque demum modo ſuſcepta. Continuatur per plurium quandoque horarum ſpatium, atque neque aeſtiui caloris, neque hyemalis habetur frigoris diſcrimen, quo praecipue tempore, per glaciem decurrendo, puerulos agilitatis ſuae pericula, quamuis non ſemper ſine periculo facere, vbiuis conſpicimus, atque SENECAE effato veritatem non eſſe denegandam, intelligimus, *iuuenile eſſe vitium*, inquientis, *regere non poſſe impetum.* Sit ergo et hic modus, in re, non omni quidem modo improbanda, cum pueris puerilia ſua non deneganda ſint gaudia. At enimuero, moderatius ſi concedantur, atque feruor adoleſcentiae, ſemper ſtudioſius regendus, opportune coërceatur, haud adeo largam parentibus et gubernatoribus, de pernicioſo eorundem euentu conquerendi, ſuppeditatam fore cauſam, nullum ſupereſt dubium. Vehementioris quippe motus ſpecies eſt curſitatio, atque toti machinae ſatis fortiter exagitandae inſeruit, quod, niſi prudentius fiat, nimium incaleſcere corpus, humores acceleratum nanciſci curſum, ſpiritus vltra modum prouocatos, tandem diſſipari, ſudorem iuſto copioſiorem profundi, haemorrhagiis pariter, imo inflammationibus tandem, non omnem praeripi occaſionem, atque, ſi potiſſimum e frigidiore in calidiorem aërem tempore hyberno, vel aeſtate in frigidiorem ſubito diſceſſus fiat locum, alteratione adeo repentina, ſtaſibus humorum, doloribus arthriticis, imo epilepticis et apoplecticis inuaſionibus ſuppeditari libertatem, facile omnino erit diuinatu, ſiquidem et ſatis grauem pulmonibus hac ratione

Curſitatio.

 tione

Vociferatio. tione inferri posse labem, sponte sua colligitur. Accedit nempe, quod vix, imo certe nunquam sine clamore, haec a pueris suscipiantur oblectamenta, atque tanto minus de anhelositate subsecutura, et facile postmodum in exitiosiora mala degeneratura, mirandum erit, quanto frequentior inter currendum et clamandum requiritur inspiratio, non nisi summe onerosa organo sua futura. Non minus pulmonibus valde molesta est alia puerilis oblectationis species, qua remotiores paulo res, ope aëris, pleno ore hausti, et iterum violentius explosi, petuntur. Fieri hoc solet tubo flaturali, (Blaserohr) cuius certe vsu omnes carere posse adolescentulos, crediderim, cum profecto non deficiant meliores, et absque adeo insigni incommodo suscipiendae recreationes. Non enim solum respirationis organon insigniter exercetur, atque aëris praecipue expulsione fatigatur, premiturque, quam non adeo facilem aut spontaneam esse scimus, ac quidem inspirationem, sed et capiti, oculis, et colli musculis vasisque male consultum esse, ipsasque partes indecenter pressas, ad intumescentiam strumosam, qualia nec mihi ignota sunt exempla, nec in parturientibus, alia quamuis de causa, quandoque adeo infrequenter sunt obuia, facile disponi posse, haud obscurum omnino est; ne quid dicam de infimo ventre, non omnis plane molestiae experte, sed pariter, dum ad in- et exspirationem suum confert officium, variis modis laedendo.

Musices quaedam noxae. §. V. Sed, missos faciamus paruulos, atque ad adultiorum quaedam progrediamur oblectamenta, tum vtrique sexui communia, tum vnicuiuis seorsim propria. Atque, vti magnos magna decent; ita et in oblectationum delectu, prouectiorem aetatem longe sentire illustrius, affatim experimur. In quarum disquisitione suscipienda, haud sinistre me versaturum opinor, si quidem a diuina illa exordiar arte, omnibus pene mortalibus desideratissima, et iucundissima, musica nempe, cuius originem coelo diisque, teste ARISTOTELE, PLVTARCHO, aliisque, deberi, antiquiores superstitiose credebant, atque in

qua

qua colenda pariter ac excolenda, regiisque praemiis ſubinde ornanda, principes quoque viros, et olim et hodienum aſſiduos fuiſſe, conſtat. Huius certe dulcedine curas emolliri, aegritudines deuinci, atque dum

triſtitia, rebusque ſiniſtris
corpora franguntur,

moleſtiarum obliuionem ex voto induci poſſe, adeo innumeris conuincimur exemplis, vt probatione vlteriore, qua inſimul in eius excurrere conueniat laudes, a nemine facile extenuandas, haud opus ſit. Sola enim omnium conſenſu creditur menti afflictae medelam parare ſuauiſſimam, et triſtitiae modum ponere exoſae, cum quippe

turbatos animos, aegrumque dolorem
ſola leuat n).

Atque tanto minus probroſae illorum accedendum eſſe ſeueritati, opinor, qui omnem plane eius vſum cupiunt improbandum, quanto magis, nec animis, moerore preſſis, ſua deneganda eſt recreatio, neque, niſi mente prius ſanata, corporis valetudini reſtaurandae, ſaepenumero locus datus eſſe ſolet. Inter moroſiores, veterum nonnullos merito habemus, qui ab omni muſices oblectamento abſtinendum, atque in eius exercitio vitium poſitum eſſe, ſiniſtre prorſus iudicabant. Quamobrem ANTISTHENIS non omni modo fidem adhibendam eſſe iudicio, quilibet prudentior exiſtimabit, qui, *non poſſe bonos euadere viros*, durius nimis ſentiebat, *qui muſicae operam impenderent o);* neque omnem ARISTOTELIS effato concedere conueniet aſſenſum, qui interrogatus, quid de muſica ſentiret? *parum vtile hoc ſtudium hominibus eſſe*, reſpondit, *quo dii non etiam delectarentur p)*, cum ignorare non debuiſſet, ſe ipſum aliis in locis, muſicam, artem mirandam, coeleſtem, cuius origo diuina ſit, nuncupaſſe, Apollinemque muſices praedi-

n) HIER. PHALETVS Sauonenſis, *de laude muſicae.*
o) PLVTARCHVS *in vita Pericli Pontici.* L. V. c. I. De prudentia.
p) BRVS. *L. IV. c. 17.*

cari inuentorem, ipſosque deos, cantu carminibusque fuiſſe saepius placatos *q*). Sanius de muſica, eiusdemque in ſalute ciuitatis conſeruanda, eximia vtilitate, ſentiebat PLVTARCHVS *r*), alia vt hic praeteream teſtimonia, ex quibus, quam commode ingenia hominum hac arte exhilarari, imo felicius fingi, ac matureſcere ſoleant, abunde conſtare poſſit. Quam variis autem modis, in hac arte hodienum exercenda, ingenioſa ſint fautorum ipſius conamina, vix quemquam ita fugere poſſe arbitror, quin ſciat, nunc fidibus canendo, nunc tubis, tibiis, tympanis, aliisque, hic fuſius non enumerandis inſtrumentis, delectari ſolere hominum animos, atque cuiuis fere genti ſuam quoque in muſices variatione datam eſſe peculiarem dexteritatem. Veruntamen, nihilo minus omni noxa non vacare poſſe quorundam inſtrumentorum vſum, nec ipſum omnibus ſubiectis eſſe commendandum, pauciſſimis monuiſſe ſufficiet. Vbi nempe pulmones frequentius agere coguntur, dum tibiarum variae ſpecies, tubae, litui, buccinae, vtriculi, inflandi ſunt, ſane, niſi a robuſtioribus ſubiectis, dextre hoc ſuſcipiatur negotium, debitusque aërem diſpenſandi adhibeatur modus, facilem haemoptyſi, phthiſi, aut rupturae cuidam vaſorum internorum, parari poſſe viam, extra dubium erit poſitum. Plenis quippe ſemper buccis eſt hauriendus aër, et intra folliculos pulmonum coecos detinendus, quos perpetua hac inſpirationis et depletionis viciſſitudine, nimium fatigaſſe, non ſine viſceris huius adeo nobilis, atque ob molliorem laxioremque ſtructuram, facile corrumpen-

q) Apollinem muſices fuiſſe inuentorem, imo muſicam, medicae arti iunctam ſaepe, inque variis morbis, tum animi, tum corporis quoque curandis, olim cum fructu fuiſſe adhibitam, iuxta cum aliis teſtatur PLATO, *Tim. c. 30.* HOMERVS, quo modo Graeci peſtem muſicae ope depulerint, ita canit:

Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ Θεὸν
ἱλάσκοντο,
Καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι
Ἀχαιῶν
Μέλποντες ἑκάεργον. ὁ δὲ φρένα τέρπετ' ἀκούων.

Neque hodiernus, tarantularum ictus per muſicam ſanandi, ignotus eſt mos. Plura de hoc argumento lectu digna, habet ALARDVS, in libello *de veterum muſica*, Schleuſingae 1636. edito.

r) In Dial. IV. *de Inſtit.*

pendi, euenire poterat noxa. Ipse quoque, qui intra vasa pulmonalia laeuia circumagitandus et miscendus erat sanguis, haud ab omni, turbulentioris conquassationis et pressionis, euadit immunis periculo, atque tanto maiorem, in adhibendis istiusmodi instrumentis, poscit circumspectionem, quanto difficiliore cum labore, quae semel pulmonibus illata fuerunt damna, profundius facile serpentia, reparari possunt. Est aliud insuper instrumenti musici genus, cuius nimio exercitio, corpori quoque aliquam inferri posse molestiam, plus simplici vice me in aliis expertum fuisse, fateor. Pandurae, siue polychordi species est, quam, a modo eadem vtendi, atque intra crura detinendi, cruralem, vti et Italis sic audit, nominasse liceat, cum alio commodiore destituar nomine. (*Viola di Gamba*). Continenda eadem est sinistra manu, qua neruorum, longo ductu extensorum, moderanda est scala, dextrae vero, qua plectrum vertitur, plurimum in tono flectendo dari negotii, atque eandem creberrima agitatione fatigari, artis periti norunt omnes, neque fieri hac ratione potest, quin, tum plectrum dirigendo, tum notas musicas attente contemplando, corporis situs erectus immutetur, atque incuruatione dorsi, et visceribus abdominalibus, et vertebris colli, dorsique, non leuis inferatur iniuria, ne quid dicam, quod saepius quoque dextri humeri depressio, ob consuetudinem situs minus commodi, minusque proportionati, huius oblectamenti praemium esse soleat, praecipue, vbi iuniorum corpora, flexilibus adhuc et mollioribus ligamentis et cartilaginibus praedita, huic assuescant instrumento, atque, quae est feruoris iuuenilis saepius incontinentia, in quotidiano huius exercitii vsu excesserint, quodque iusto diutius sedendo, incuruatum erat corpus, ambulando et erigendo, ad naturalem iterum componere situm, neglexerint. Non adeo perniciosa habebitur forsitan musica vocalis, cum ea, quae praedictis quibusdam, aliisue similibus instrumentis, impendenda erat aëris copia, hic non adeo prodigaliter videatur dissipanda. Parum quidem a voce ipsa differt cantilena, in eo tamen tantisper ab illa

recedit, quod prioris negotium magis ſit liberum, poſteriore vero pulmones, larynx, thorax, muſculique loquelam iuuantes, frequentius et fortius exerceantur. Interim tamen, ſi, aëre impetuoſius intra laryngis rimam preſſo, altius protenſa fuerit cantatio, vel et in profundiorem, pleno ore aërisque flumine, ſit demittenda vox tonum, vti prius in diſcanto, poſterius in baſi muſicali, vbi grauiore canendum eſt modulatione, maxime vero in falſula vocali (Fiſtul) accidit, vix ſemper omnem vaſculorum pulmonalium, in ſubtiliſſimos fines abeuntium, vel preſſionem, vel rupturam praecaueri, atque inde haemoptyſin praecipue produci poſſe, vero videtur ſimillimum, adeo, vt has quoque oblectationes, rariore vſu commendatas fore, vel me non monente, perſpectum eſſe poſſit.

Pictoriae artis incommoda.

§. VI. Diſplicent nonnullis concentuum muſicorum ſtrepitus, dumque haec aurium ſuauiora pabula, atque turbae, pleno quandoque agmine ad fidium cantus crebrius confluentis, auerſantur conſortia, atque ſolitudinis magis tenentur amore, de alio, quod magis placere poterat, meditantur oblectamento, quodque auribus denegatum eſſe cupiebant, oculis concedere geſtiunt. Picturis quippe nonnulli delectantur, quandoquidem in diuerſarum rerum delineatione, iisdemque colore vario obducendis, tempus tranquillius, atque ab omnibus turbis curisque remotis, conſumi poſſe, ſibi perſuadent. Veritatis forſitan videntur amantiores, cum picturam artem imitatoriam, a veritate haud procul alienam, olim fautorum ſuorum commendatam intelligamus ſuffragiis, ipſaque poëticae arti proxima optimo iure ſocia iudicetur, quae pictura videatur loquens, veluti picturae, poëſeos tacentis nomen, non inconcinne conceſſum fuit *s*). Non vnum veterum pictorum, arte inclaruiſſe ſua, famaeque immortalitatem, monumentis aere perennioribus, ſibi conciliaſſe, antiquae referunt hiſtoriae, dum APELLIS, ZEVXEOS, PROTOGENIS, aliorumque, omni fere humana capacitate ſuo aeuo ſuperiorum, in corporibus ad viuum pin-

s) FRANCISC. PATRIC. *de republ. L. I. cap. 10.*

pingendis, commendant dexteritatem. Atque, ſi in noſtrorum demum temporum nominandis et laudandis artificibus, in quavis regione illuſtribus, operam impendere placeat, diem profecto citius, quam commendandi materiam defuturam, nullus dubito. Teſtantur regum palatia, priuatorum muſaea, picturis antiquiſſimis et recentioribus ornatiſſima, quantum oblectamenti animis ex hac accedat arte, et quam ſuaui aſpectu, oculi, dum proportionis concinnitatem, atque colorum mirantur miſcelam, decipiantur, ita, vt ſaepius non ſolum corporum ſufficiat contemplari figuram, ſed ad ipſam quoque artem exercendam, ſummo ex vtroque ſexu complures trahi animaduertamus deſiderio. Dulciſſimum profecto negotium, nec vlli inuidendum, neque temere diſſuadendum, ſi debito ſaltem modo, aut opportuno inſtituatur tempore, atque ab omni liberum fuerit exceſſu. Videtur tamen et huic arti fere eſſe proprium, vt ab ea ſemel tentata atque ſuſcepta, vix abſtinere ita poſſint fautores eius, quin, dum

ſcilicet eſt cupidus ſtudiorum quisque nouorum t),

per multas horas ſedendo, et attentius oculos in obiecta figendo, in phantaſiae ideis, perfecte et ad votum exprimendis, toti occupati ſint, dumque animum reficere, atque ſenſus oblectare cupiunt, corporis et ſanitatis obliuione teneantur. Neque opus fore arbitror, diu multumque in vitae ſedentariae, cui et hic nimium indulgetur, incommodis enumerandis occupari, cum, quae in corpore crebrius mouendo, ſanitatis ſint quaerenda praeſidia, a nemine non medicorum, vberrime ſemper legantur commendata; hoc ſaltem monuiſſe, ſatis ad rem erit, praeter humorum lentorem, ſtaſes praeterea, ex hoc fonte, infeliciore prouentu productas, excretionumque ordinem, a ſecretionum vigore pendentem, turbatum, viſus quoque organon, non ab omni durioris fati liberum prorſus exiſtere iniquitate. Quo quippe maiore cum attentione, atque infixis magis oculis, obiecta delineanda, atque nitidius pingenda, conſpicienda ſunt,

t) OVIDIVS *L. I. de Ponto, Eleg. VI. 35.*

ſunt, tanto copioſiores, ad neruos et muſculos, viſum admini‐ſtrantes, oculosque mouentes, deriuari ſpiritus, neceſſum eſt. Hos vero diuturniore affluxu prouocaſſe, atque tandem penitus fatigaſſe, tanto periculoſius eſt, quanto aegrius nobiliore hoc carere poſſumus organo. Deficiente autem ſpirituum ſufficiente acceſſione, ipſum viſus organon ſummopere admodum debilitari, atque partes, tam ſolidas quam fluidas, oculum conſtituentes, in quarum conſeruatione omnem ponere conuenit curam, inſigniter in actionibus ſuis expediendis turbari, ſponte ſequitur. Humores inſuper, intra oculos contenti, atque, veluti hoc omnibus fluidis ſolenne eſt, ſatis agiles, nimium prius concitati, poſthac, ob ſpiritus, obſequium renuentes, ſegniores redditi, non poterunt non lentore ſuo, viſus hebetudini, cataractae, imo coecitati tandem conſummatae, praebere opportunitatem, quae paria fata, ſi neruis opticis obſtructis, et ſpirituum debito affluxu deſtitutis, acciderint, vix a plenaria viſus abolitione, manu chirurgica nequidem reparanda, tutum eſſe poſſe, arti pictoriae vltra modum aſſuetum, facile coniicere licebit. Atque haud paucos certe pictores, chalcographos, et quicunque delineationibus frequentioribus, praecipue nitidioribus et punctatis, dant operam, cum a variis omnino, quae oculos vexare poterant, incommodis, non plane eſſe immunes, haud ignoremus, de origine mali, in ipſius artis attento nimis, et minus modico exercitio quaerenda, tanto minus dubitabimus, quanto citius, ſubtiliſſimam prorſus oculorum texturam, cum perpetua obiectorum contemplatione, tum radiorum lucidorum inſuper acceſſu, atque colorum variorum miſcela, violari poſſe, ex re anatomica conſtare debet. Quae, cum ita ſint, niſi motio huic arti ſedentariae interponatur, atque temporis quoque opportuni habeatur ratio, tam virili quam femineo ſexui, huius oblectamenti vſum, noxium certe euentu moleſtiore futurum, certiſſimis praeſagiri poterit indiciis. Eodem fere modo oculis offici poſſe, per alia ſpectaculorum genera, hic fuſius quidem nec nominanda, nec deſcribenda, vt‐

Ignes artificiales.

pote

pote vix cuiquam ignota futura, haud ita difficulter apparebit, inter quae non omni modo praetereundos existimo ignes artificiales, solenniores praeprimis, in quorum certe stupenda praeparatione, vix vlla secula nostris facile priora extitisse, nouimus. Nihil est vtique, quod noctem, qua tenebris horridis teguntur omnia, cunctis fere inimicam, omni modo reddere possit amoenissimis spectaculis magis aptam, atque diei aemulam, quam ignium festiuorum apparatus, ipsaque pyrobolorum missilium, ignium volatilium, inter tormentorum fragorem ad auras extremas missorum, et illuminationum, lampadumque, fulgentissimis colorum flammis radiantium vicissitudine, oculos spectantium mire delectari posse, nemo, qui semel tantum harum oblectationum nocturnarum attentus extitit admirator, inficias ire poterit. Ignem aquae bellum nunciasse credas, dum, quo vinci per naturam poterat elemento, superiorem infra ipsos fluctus arte euasisse, miraris. At, nihilominus spectaculo hoc finito, oculos, variorum colorum igniumque radiis pressos senties, atque non omni voluptates has caruisse incommodo, fateberis.

§. VII. Est aliquid, auditum visumque oblectasse, atque inanes, sensibus hisce exhilaratis, pepulisse curas. Sed paria sibi videtur poscere iura olfactus, cuius et desideriis vt fieri possit satis, naturae praecipue gratum debemus, cuius benigna prouidaque cura dum et hic frui, atque muneribus eius libere vti licet, animis quoque gratam conciliari posse requiem, gaudemus. Atque hic vtique regni vegetabilis praeprimis depraedicandas esse diuitias, censeo. Quanti enim sunt plantarum, florumque, quibus prata, nemora, hortos, ditatos miramur, cumuli? quorum amoenissimis effluuiis, tum aëris puritati, nostrae profecto sanitati insigniter proficuae, tum et mortalium pectoribus reficiendis, optime prospectum esse, laetamur. Suo quamu plisantam colore, figura, odore distinctam esse, rerum omnium magistra imperauit, atque hac ipsa varietate, diuersis quoque hominum propensionibus, ab omni similitudine abhor-

Florum oblectamenta.

horrentibus, obſequioſa fuiſſe, ipſosque ad ſuorum producto-rum liberiorem vſum inuitaſſe videtur. Quid enim verno ae-ſtiuoque tempore iucundius, quam medios inter florum fragran-tiſſimorum odores, corpori, laborum ſerie defatigato, de no-vis et agilioribus proſpicere viribus, patulae ſub tegmine fagi, gramina ſerpillum thymumque redolentia premere, ſuauemque feſſis concedere membris quietem? Quinimo nec per hye-mem, cum emortua vulgo creditur, atque cunctis amoenitati-bus orbata natura, omnem mortalium ingeniis denegauit li-bertatem, in reſuſcitandis maturius floribus, ſuis faciendi ſatis deſideriis, quasque quaeuis regio non ſuppeditare e gremio ſuo poterat plantas, ex aliis prouinciis allatas, peregrino quoque aëri, diligentiore cultura conceſſit aſſuefaciendas, ne quidquam plane deſit, quo, quantum in mortalium commodis promo-vendis ſit aſſidua, innumeris cognoſci poſſit teſtimoniis. Has deſpexiſſe veneres, iniquum eſt, neque iisdem ſenſus oblectaſ-ſe, vnquam poenitebit, ſi quidem in his beneficiis frugaliter adminiſtrandis, prudentibus eſſe lubuerit. Vnde certe vix vl-lum abuſui excuſando parari poſſe locum, vel culpam incom-modorum ad naturam deuoluendam eſſe, ſuſpicandum, quo-rum potius cauſam haud obſcure in mentibus hominum, mo-dum in licitis quoque rebus tenere neſciorum, detegere con-venit. Vti nempe optima quaeque, per ſe quidem innocua, quotidiano tamen et intemperato vſu, vileſcere tandem, aut nocere incipiunt, atque facillime ſatietatem, imo taedium pa-rere ſolent; ita et ſenſibus, florum oblectamentis indeſinenter paſcendis, idem non ſine inſigni moleſtia euenire poſſe, vix dubitare conueniet, adeo, vt nonſolum ſuaues odores auerſari, ſed et oblectamentorum praeteritorum, minus caute forte ad-hibitorum, triſtiora veſtigia, cito ſatis perſentiſcere cogantur, qui nimiis Florae amplexibus, imprudentius ſe cupiebant ſa-tiandos. Non conueniet hinc, a quotidianis florum, praeci-pue fragrantiorum, et odore grauiore praeditorum effluuiis, ſa-nitatis quoddam indubitato expectaſſe firmamentum, atque de

capitis

capitis refectione, aut dolorum eiusdem mitigatione, hac putatiua aëris correctione impetranda, quidquam ſemper ſperaſſe boni, cum nimium peregrinis moleculis grauiorem aërem, a puriore procul ſatis diſtare, ſciamus. Multo minus ergo quorundam accedendum eſſe mori, autor eſſe velim, qui intra aeſtiuaria aut hybernacula, compluribus odoratiſſimarum plantarum centuriis referta, laetius pranderi poſſe autumant, quam conſuetudinem opulentioribus haud eſſe infrequentem, compertum habemus, *Mos in hybernaculis epulandi.*

Eſt nam diuitibus prandendi haec ſumma voluptas,

qua veterum mores, qui vnguentorum delectabantur ſuauitate, atque multis roſarum, violarum, liliorum, aliorumque florum manipulis, menſas et conclauia conſpergebant, imitari geſtiunt. Ecquid vero opus erat, capita, ciborum et vinorum variorum vaporibus ſatis iamtum grauata, florum exhalationibus, minus libere, quod hyemali fit tempore, diſperſis, magis onerare, atque cerebro, neruisque, vltra modum conturbatis, in officio ſuo debite perficiendo, adeo inſignem ponere remoram, capitis dolores duriores prouocare, vertiginoſos impetus excitare, atque, quod femellis praecipue, a virorum conſortio pariter ac vitiis parum ſaepe remotis accidere poterat, mali hyſterici laceſſere moleſtias, tanto certius ipſis euenturas, quanto aegrius ipſarum multas, dulcia aut ſuauia ferre ſolere, dudum inter omnes conſtat.

§. VIII. At, dum epularum feci mentionem, aliquantulum adhuc hic commorandum, atque paulo plenius haec oblectamenta deguſtanda eſſe, opinor. Nempe qualis ab iis, *Conuiuia.*

quibus in ſolo viuendi cauſa palato eſt u),

animum corpusque reficiendi obſeruetur modus, inter probroſas, ſummeque deteſtandas voluptates merito ponendus, non tam explorandus venit, quam potius aliorum, a vulgo et vitiis paulo remotiorum, atque ſeueritatem non raro affectantium, e longinquo tantum, diſquiſiuiſſe menſas, ſatis erit, ne ipſorum

R 2 gaudia

u) IVVENALIS *Sat. XI. v. 11.*

gaudia audacius interrumpere velle visus, non inuitatus hospes, Catoniano forte despiciar supercilio. Ipsum vero, conuiuia opipara parandi, atque amicos, ad animum oblectandum, corpusque a negotiis tantisper auocandum, conuocandi morem, inter vrbanitatis officia numerandum, tantum abest, vt vituperare audeam, vt potius homine, grauibusque viris nihil iudicem dignius, quam societatis esse amantibus, atque media quoque inter hilaritatis pocula, curas tristitiamque fugasse, interque blanda amicorum colloquia, corporis quoque curam decenter egisse. Humanitatem quippe abnegasse penitus videntur, qui noctuarum more, omnem consortii et lucis fugere amant dulcedinem, hominum fere vix salutandi nomine, nec sibi, nec aliis viuentes, naturae beneficiis indigni, quae teste CICERONE, *solitarium nil amat x)*. Turpe nempe iudicatum semper fuit, omnem sustulisse conuersationem, et generi humano renunciasse, *cum, quod natura dedit tempus, solitudine male consumtum* dicatur a SENECA *y)*. Ornantur quippe per amicos res secundae, subleuantur aduersae. Quanto vero prudentioribus esse convenit, in amicorum faciendo delectu, tanta quoque, ne et hic medicum deficiat consilium, opus erit circumspectione, in ipso eosdem oblectandi modo, cum certe in ciborum adeo variorum copia, amicitiae quaesiuisse documenta, amicos vtique dedeceat. At, videtur in eo haud vulgare, amicos honorandi, frequentius poni solere momentum, si quidem pleno excipiantur ferculorum, vndequaque conquisitorum apparatu, ipsisque

quod pontus, quod terra, quod educat aër z),

liberalius apponatur, veluti et non nisi in numerosiorum cyathorum, more palatino exhauriendorum, propinatione, consortii amoenitates quaerendae existimantur. Per plures horas mensis est assidendum, atque, ne inter dapium copiam, iocis quoque et leporibus commoda surripiatur opportunitas, ingenia mero, sollicitis frontibus explicandis apto, suscitanda, plenisque mani-

x) De amicitia cap. 23. y) De tranquillitate, cap. III, n. 114.
z) OVIDIVS *Metam. Libr. VIII, v. 834.*

manibus vinorum multi apportandi ſunt crateres, aqua glacieque miſcendi, neque vnquam vocatus

calidae gelidaeque miniſter a)

ſuo deeſſe cernitur officio. Surgitur tandem a conuiuio, vt, qui vino incaluerat conuiuarum ſtomachus, decocto Cofetano, adeo adhuc deamato, vel quocunque alio, absque mora temperari poſſit. Necdum finis eſt oblectamentorum, quin potius, cum aegre corpus, tantis deliciis onuſtum moueri, et ambulando digeſtioni aliquatenus ſuccurri poſſit, ne mole ſua ruat,

illiſique pedes vitioſum ferre recuſent
corpus b),

luſus parandus, aut confabulationibus, vel et ſomno vacandum eſt, et, ne quidquam feriari videantur ora, tabaci exercenda ſunt, atque ad plus potandum inuitanda, fumigatione, cuius ſpiritibus, animales quoque ſpiritus commodius cenſentur accendendi, quodque per diem abſolui non poterat, in mediam differtur noctem, quae caeteroquin

feſſis optata ſilentia rebus

inducere conſueuit, atque

corpora, duris
feſſa miniſteriis mulcet, reparatque labori c),

cuius vtique tenebras, nemini non horridas, triſtesque, vapore atro ad auras, inter repetitas potationes miſſo, coluiſſe, inque ſuum impendiſſe vſum, iucundum eſt.

En, curas ſic pepuliſſe, iuuat!

An vero morbis quoque magis pellendis, quam temere prouocandis, aut corporis viribus, ita ex voto reparandis, conducatur, adeo facili cuiquam perſuaſum fore negotio, vix quidem exiſtimauerim. Tanta quippe, vna ſaepe die, inuito traduntur ſtomacho fercula, quantitate pariter ac qualitate diuerſiſſima, quibus in vſum corporis conuertendis, nullo modo ipſum parem futurum, praeſciri poterat, adeo, vt certe, dum cibus intra dige-

a) IVVENALIS *Sat. V. v. 63.* b) HORATIVS *Libr. II. Sat. VII. v. 108.*
c) OVIDIVS *Metam. Libr. XI. Fab. X. v. 626.*

digestionis organon imperfectius haerens, diuturniorem ibidem nectere moram cogitur, cruditatum, nausearum, vertiginum, anxietatum, dolorum grauatiuorum, morborum articularium, imo febrium malligniorum, ex humorum corrupta crasi facile oriundarum, tanto minus mirari liceat prouentum, quanto parcius modum horum teneri oblectamentorum, notum est, quorum potius tanta videtur esse dulcedo, vt dies omnino credatur perditus, quo animum inter epulas et commessationes, vel iucunda praeteritorum recordatione pascere, vel ad futura mala fortiore pectore ferenda parare, non sit liberum. Qui, mentem oblectandi, atque amicis vtendi modus, quam procul a luxu et mollitie distet, et quam parum attendatur, quod et

paruo liceat producere vitam d),

peritiores iudicent. Quanto lubentius enim simplicitatem, etiam in oblectamentis amat natura, paruo contenta paratu, tanto et tutius et prudentius erit, ipsam imitasse, ipsiusque ita vti diuitiis, ne, quas in corporis concesserat commodum, non profundendas, sed moderatius administrandas, ipsa quoque in eiusdem detrimentum conuertere, vel inuita cogatur. Siquidem

esca alitur corpus, corpus corrumpitur esca,
vimque suam minuit, si quid protenditur vltra e).

Nauigatio. §. IX. Non est inter infimos oblectationum modos ponenda nauigatio, siquidem leni hac corporis agitatione, ipsius partibus, fluidis praecipue, placide commouendis, et transpirationi leniori promouendae, apprime fieri posse satis, haud dubitare licet. Atque sic facile propemodum erit diuinatu, nec in omni nauigatione oblectamentum, aut sanitatis adiumentum esse quaerendum, cum naues maiores, atque per maria velocissimo cursu, vestigiis nullis relictis, meantes conscendisse, dum

currit in immensum panda carina salum f),

vix

d) LVCANVS Lib. IV. v. 373.

e) TERTVLLIANVS ad Senatorem cap. II. v. 36.

f) OVIDIVS Amor. Lib. II. Eleg. II. v. 24.

vix sine summo fieri soleat incommodo, omnis periculi nunquam expertae. Ignotum quippe non est iis, qui prima vice navibus maioribus vehuntur, atque Oceani vastos metiuntur gurgites, quam gravibus crebrioribusque, per multos dies torqueantur nauseis, et vomitionibus, non nisi a violentiore navium iactatione, et rapidissimo earum cursu oriundis. Tranquillior est in fluminibus, minoribus praecipue, navigatio, neque omni caret salubritate. Motus enim vehementior, cum non nisi robustioribus conducat subiectis, aliisque tum imbecillioribus, tum non ab omni morbosae constitutionis discrimine liberis, plane exitiosus esse possit, qualia exempla in phthisicis, calculosis, asthmaticis habemus, neque tamen omni motu carere possit corpus, debite nutriendum, atque in vigore suo quovis modo conservandum; sane vix blandiorem navigatione, eligi posse motus speciem existimo, qua, ne plane segnitie corrumpi valeat machina, caveatur, atque cuius ope simul commodissima, aëre liberiore aliquamdiu fruendi, detur opportunitas, in cuius pariter vim magnam sanitatis positam esse partem, dubium inter medicos exiguum est. Sunt tamen nihilominus et huic oblectationi sua saepius coniuncta incommoda, non omni plane attentione indigna. Non enim impune semper naviculas conscendunt vertiginosi, hystericae etc. cum, qui ob celeriorem obiectorum repraesentationem, a recto, quo ad partes ferri debebant itinere, vel detorquentur, vel nimio celerius compelluntur spiritus, non raro capiti ventriculoque, turmas creare soleant, ob nervos irritatos, molestias, atque capitis doloribus, nauseis, taediisque per os egestionibus producendis, periculosi evadunt. Quae paria fere restant huius oblectamenti, hyberno quoque tempore illos manent, qui trahis vehi, atque camporum, sylvarum, montiumque poenas, aëris nempe iniurias, in lusum convertere amant usum. Nihil fere a navigatione differt haec corporis commotio, nisi quod acerbiore, et erosa conditis insumenda sit tempestate. In eo tamen insignior magis a priore expectanda est diversitas, quod, cum motione

Vectio in trahis.

motione hac, raro moderatius suscepta, transpiratio admodum aucta esse soleat, ipsum quod corpora ambit frigus, poros obturando, atque humorum excretionem posthac turbando, interno quoque fluidorum aequilibrio euadat perniciosum, atque grauissimis malis proliciendis, occasionem suggerat. Vnde et non mirum, si, qui per plures horas, hyemalibus hisce vsi fuerunt oblectamentis, praeter laesa et plane adusta frigore membra, febribus malignis ob transpirationem interceptam, pulmonum vitiis et catarrhis, ob aërem frigidiorem copiosius inspiratum, vertiginosis symptomatibus, ob continuum niuium conspectum, et vectionis velocitatem, inflammationibus et arthriticis morbis, ob repressas humorum se- et excretiones, praemii loco exagitentur, atque oblectationum harum, non sine dolore meminisse cogantur.

Adultiorum equitatio.

§. X. Paulo mouentur fortius, qui equitatione delectantur. Ipsum vero equis vtendi morem, antiquissimis iampridem fuisse receptum temporibus, non adeo ignotum esse potest, quin ex historiarum constet monumentis, graecos, romanos, aliasque gentes, equorum cursum in ludis publicis introduxisse, atque in gymnasticis exercitiis equos fuisse adhibitos, siquidem et veterum Teutonum quaedam torneamenta, equestria fuisse, atque hodienum eadem publica oblectamenta, quamuis et pedestria non plane in desuetudinem abierint, caballorum ope suscipi, nouimus. Nimium tamen fortem hanc esse commotionem, corpori defatigando magis, quam debite exercendo, aut firmando aptam, fusiore haud indigebit probatione; omnem quippe vehementem exercitationem corpus extenuare, non demum CELSI corroborari oportere suffragio, existimo *g*), cum cuilibet, rei periculum facturo, optima testis esse queat experientia. Modicam saltem hic velim intellectam equitationem, qua nec ad celeriorem cursum, nec tolutationem, nec succussationem instigatur equus, sed lento magis incedit passu. Neque vllum est dubium, quin moderatiorem huius exercitii vsum, in-

g) Libr. I. cap. 3.

innumerorum quandoque remediorum, fruſtra certe adhibendorum apparatui, anteferendum eſſe, praeuidere poſſimus. Sic humorum tardiorum ſtagnationi auertendae, craſſiorum reſolutioni promouendae, et materiae excernendae mobiliori reddendae, primarum praeterea viarum commotioni, flatuum expulſioni, partiumque ſolidarum firmationi et agilitati obtinendae, apprime conducere equitationem, inde a plurimis temporibus, non ſolum multis corroborare ſtuduerunt argumentis medicorum peritiſſimi, ſed et teſte experientia, varia mala, praeſertim illud, haud infrequens hypochondriacum, equitatione ſaepius ex voto ſublatum aut certe emollitum fuiſſe, inter complures conſtat, adeo, vt in laudes ipſius demum excurrere, opus eſſe haud cenſeam, quin potius praeter aliorum clarorum virorum teſtimonia, ratione et experientia comprobata, experientiſſimi ADOLPHI, *de vſu equitationis medico*, erudite conſcriptae Diſſertationi, Lipſiae 1713. habitae, omni ex parte accedendum eſſe iudicem. At enimuero, nimium quoque hic pernicioſum eſſe, atque triſtem vtique oblectamenti huius, intempeſtiue ſuſcepti, eſſe poſſe euentum, tribus tantum addidiſſe verbis, ſufficiet. Neque opus erit, multis demonſtraſſe rationibus, quam parum partes fluidae, ad ſtaſin iamtum pertinaciorem in variis ſubiectis pronae, vel modicam quoque ferre poſſint motionem, quin vel vaſa ad rupturam diſponantur, vel intra arteriarum fines, ſanguine ad anguſtius ſpatium violentius et copioſius adacto, inflammationi reddantur aptiſſima. Quo magis enim humorum, ceterum tranquilliorum, motione quauis excitatur orgaſmus, id quod et in iis obſeruamus ſubiectis, quibus per officii rationem ſaepius equitandum eſt; tanto certius et preſſionem in vaſis eorum orituram, ſuſpicari licebit, in quibus liberior humorum non ſuccedit circulus, ab irritatione violentiore magis turbandus. Vnde iis, qui haemoptyſin experiri ſolent, aut ſanguinis citatiorem curſum, leui quoque motione ſuſcepta, ſentiunt, quiue tumoribus ſeroſis laborant, aut calculo, potiſſimum grandiore, et aegre exmittendo cruciantur, haemorrhoi-

morrhoidum doloribus anguntur, capite aegrotant, pulmonibus male habent, tanto minus salutarem fore equitationem, certissimo praenunciari poterit augurio, quanto profecto grauiora, imo funesta symptomata, inde fore excitata, vel me tacente, colligi potest, in quibus magis per abstinentiam a nimia motione cohibendis, curam ponere oportebat. Imo, nec opus erit, praesentibus iamtum hisce malis, abequitatione abstinuisse, quin et quemlibet, constitutionis atque incommodorum suorum optime conscium, monendum esse crediderim, ne, dum nimius in equitando est, quae nondum aderant, sed aliquando adfutura, e longinquo saltem factis praeludiis satis notabilibus, persentisci poterant, ante tempus propius inuitare audeat morborum discrimina. Praeterea quoque, cum non sine omni peritonaei extensione equitatio suscipiatur, herniis non omnem praeclusam esse hac motione viam, absque vlteriore deductione colligi posse, autumo.

Risus molestiae.

§. XI. Ipsum denique risum non plane praetereundum opinor, in quo nonsolum oblectamentum quaeri solere, hominibus tantum, vel a primis statim incunabulis solenne, philosophi fatentur omnes, dum risum proprium hominis quarti modi esse statuunt, sed et, ex quo laetitiae signa capi solere, nouimus. Placidum enim vultum, seueritatis expertem, atque explanatum, frontemque serenam, iucundioris sensationis, et affectus hilarioris agnoscimus nuntiam. Sola tamen non agit facies, quin et thorax suam conferat in risu expediendo symbolam, dum dilatatus prius, plenam ori, aëris copiosioris flumen ridendo postmodum emittendi, largitur libertatem. Aegrius enim rident, quorum thorax ob musculorum spasmum, aliasque internas quoque laesiones, difficilius mouetur. Causam risus remotiorem, vel et materialem, in obiectorum vel idearum amoeniorum repraesentatione quaerendam esse, vix quemquam negaturum confido, propiorem vero efficientem exposituris, haud pauca obfutura obstacula, non omni plane difficultate et dubio vacua, tanto certius opinor, quanto pluribus autorum dissensibus,

huius

huius negotii disquisitionem fuisse expositam, intelligimus. Procul sane ab instituto aberrarem, si in hoc argumento vberior iam esse, constituerem, cum nec lites praeter necessitatem mouere deceat, nec iisdem componendis satis me sentiam parem *h*); neque et omnem risum ab obiecto iucundo semper oriri, pertinacius contendere cupio, cum et malitiae testis esse possit, atque ἐπιχαίρε κακίας documenta risu probrosiore prodantur, vti et morbosum et inuitum risum a specie *ranunculi* produci solere, botanicos non latet, quem ad *apii* familiam ab aliis relatum, sub nomine *apii risus* legimus *i*). Ridere quoque creditur

simia, quam similis turpissima bestia nobis.

Rident insuper et melancholici, rident furiosi, quorum tamen risum hic disquirere, non est animus. Risum potius honestorem et licitum, aliquando molestiorem esse posse, paucissimis exponam. Thoracem quippe, praecipue tempore quo ridetur, satis manifeste agere, supra iamtum dictum fuit, atque, quamvis sine eius et pulmonum actione, vix risus produci possit, non omne tamen diaphragmati, tanquam thoracis parti, atque musculis abdominalibus, mutui adiutorii officium denegandum esse, opinor. Quo magis itaque omnium harum partium intenditur actio, tanto crebrior etiam ipsorum, in vtraque cauitate contentorum viscerum fit motus, a concussione aliquali parum alienus. Vnde, quo frequentius et fortius ridetur, tanto copiosior aëris

S 2 portio

h) Quam nonnulli risus causam in liene posuerunt, eruditissime disquisivit B. PLATNERVS in Programmate *de risu a splene*, Lips. 1738. edito.

i) Pertinet ad *ranunculi* species, ob characteris similitudinem, atque ob foliorum habitum *apio* annumerari solet, falso tamen, rectius nempe dicitur *ranunculus palustris, apii folio*, C. B. P. 180. vel *ranunculus palustris, floribus minimis.* Videtur forte consimilis esse plantae, cuius mentionem facit PLINIVS *Histor. natur.* L. XXIV. cap. 17. quam *Gelotophyllida* nominat, in Bactris, et circa Borysthenem nascentem. Idem quoque effectus risum producendi *Stramonio* tribuitur, cuius semina Turcicae, aliarumque Orientalium regionum mulieres, maritis exhibent, vt adulteris, medias inter maritorum, apertis oculis stupide ridentium gesticulationes, liberior pateat aditus.

portio e pulmonibus erit protrudenda, atque tanto quoque celerior redditur ſanguinis intra vaſa pulmonalia curſus, qui, ſi nimium fuerit incitatus, non ab omni plane, e minimorum vaſculorum extremitatibus egreſſu, videtur impediendus, veluti et in abdomine a frequentiore riſu, peritonaei preſſionem et extenſionem facile prouenire poſſe, haud abſonum erit ſuſpicari. Fortius quippe, et diutius ridentibus, abdomen dolere, atque, vti in vulgari verbo eſt: *ventrem continendum eſſe*, nemo, quin ſuo ſciat exemplo, erit. Inteſtina videlicet, et partes ipſis vicinas, inferiores praecipue, abdomine per vices nunc expanſo, nunc coarctato, etiam moderatiore riſu ſatis euidenter vrgeri, vel exinde patet, quod in eundem ſolutis, ſphincter veſicae, cuius ſatis firmum caeterum valorem eſſe conſtat, obſequium ſaepe renuens, lotii effluxui, praeter voluntatem viam largiatur.

Concluſio, qua

§. XII. Veruntamen, ſatis eſto oblectationum. Potiores quasdam breuiter expoſuiſſe, ſufficiat. Pluribus, quae deſiderari poterant, ſupplendis, aliam non defuturam occaſionem, confido. Cum tamen easdem non omni plane carere moleſtiarum conſortio, pauciſſimis demonſtrauerim argumentis,

ſcilicet interdum miſcentur triſtia laetis k),

non omnino dedecebit medicum, adeo dulcis morborum cauſae, paulo magis attentam gerere quandoque curam, a cuius effectibus tanto plus erat metuendum damni, quanto rarius et difficilius de ipſius euitatione meditari ſolet mortalium incuria, quorum ſaepius ſola, in oblectamentorum tam quotidianorum, quam et immoderatiorum vſu, poſita creditur felicitas, quosque non niſi laetitiae tanto frequentius capiendae cernimus cupidos, quanto magis ipſius inconſtantiam, non ſine dolore percipiendam, formidant, et quo aegrius ſuis gaudiis, quae

non remanent, ſed fugitiua volant,

priuari cupiunt, quorum nihilo minus perpetuo et intempeſtiuo vſu, taedioſo tandem futuro, dum omne nimium in vitium denique vertitur, haud leuem factam fuiſſe, ſanitatis iacturam,

k) OVIDIVS *Faſtor. L. VI. v. 464.*

ram, aperte satis animaduertunt. Prudentiorum erit, animi et corporis oblectamentis, CICERONE suadente, vti, *veluti somno et quiete, cum nempe grauibus et seriis satis fecerimus l)*, cumque nihil ab eorum extimescendum esse abusu, praescire possimus. Quodsi interim nouiorum rerum cupidis, antiquitate forsitan argumenti, haud fecisse videar satis, hos saltem meminisse velim, morum prauiorum antiquitatem, nondum abolitam, nouiore haud indigere correctione, quin potius, cum veterum praeceptorum facile capiamur obliuione, eadem saltem renouanda, atque quemlibet de suo, quod sibi debet officio, monendum esse, meque non propriam doctrinam, sed priscorum commendare voluisse dicta *m*), quauis profecto nouitate superiora. Moderati nempe et ingenui est animi, prudentioribus obtemperare cohortationibus, atque suis ita imperare desideriis, ne, iisdem prono impetu in libertatem datis, voluptatibus, quas rarior commendat vsus, mens decipiatur, atque communibus cum corpore commaculetur vitiis. Quantum enim a prudente oblectamentorum moderamine, sperari poterat commodi, tantum quoque immodica, consiliique expers, nullo non tempore

non argumenti nouitas, sed antiquiorum monita commendantur.

nocet, emta dolore voluptas.

l) *De offic. L. I.*
m) CASSIODORVS *Praef. in lib. Lect. div. p. 848.*



DISSERTATIO VI.

DE

OBLECTAMENTORVM INCOMMODIS,

HABITA D. XVII. OCT. MDCCIL.

CORNEL. GALLVS Eleg. I. 165.

O miseri, quorum gaudia crimen habent.

---

§. I.

Iucundis rebus modice vti nesciunt mortales,

Est ea saepe satis quamplurimorum mortalium deperdita prorsus conditio, vt, dum variarum, quas amoenitate sua placere posse putant, rerum, nimio atque vix satiabili capiuntur desiderio, dumque easdem non nisi in sui liberiorem vsum factas, aut concessas esse, peruerso autumant iudicio, hanc sibi solis datam esse potestatem opinentur, in earum perpetua, vel diuturniore certe possessione, maximam vitae huius misellae felicitatem, omnibus modis quaerendi, conseruandi. Atque, quamuis prorsus inficias iri nequeat, ita munerum suorum vsum naturam mortalibus haud inuidere, quin et eadem liberaliore quotidie offerat manu, nouis accessionibus adaugeat, et ad ipsa, in commodum non vnum impendenda, haud vulgari eorundem venustate, quemuis inuitare videatur; ita tamen in hac non excedendum esse licentia, tantisque ita abutendum esse beneficiis, vt iisdem in perniciem stolide adhibitis, immoderatioris tandem vsus poeniteat, vix cohortatione opus esse, arbitror. Vti enim cunctarum rerum,

inconstantia ipsarum non deterriti.

quas ipse deus laetos generauit in vsus a),

tanta quoque est inconstantia, qua, quam parum ipsarum finis ab origine distet, plus saepe conuinci possimus, ita et ex ipsarum

a) SILIVS ITAL. *XV. 55.*

rum vſu, immutabilem capere velle voluptatem, deſipientis eſt. Et, quam ſaepe acerbiſſimum dolorem, gaudiorum noſtrorum comitem experimur indiuiduum, cum in praecipiti voluptatem frequenter eſſe, quae, niſi modus in ipſa adminiſtranda teneatur, calamitatum grauiſſimarum foecundiſſima euadit mater, innumerorum exemplorum, vel a nobismet ipſis, ſi modo ad rerum viciſſitudinem, cui ſumus obnoxii, diligentius attendamus, capiendorum, edoceamur teſtimoniis. Vnde eſt, quod *difficile eſſe*, iudicauerit SENECA, *modum tenere in eo, quod bonum eſſe credideris b)*, tantoque maiore vtique opus eſſe prudentia, vel ſponte conſequitur ſua, ad diuerſa adeo mala euitanda, quae, veluti

impia ſub dulci melle venena latent c),

ab hiſce ſuauiſſimis admodum cauſis, copioſo ſatis agmine prognata, imprudentiores atroci ſatis moleſtia, de in cauto, quod ceperant conſilio, atque quod duxerant vitae genere, monere ſolent, bonis omnibus exoſo, atque non niſi ſummo cum labore tandem emendando. Quo minus interim oblectationum variarum, prudentiorem vſum, mortalium generi inuidere licet, quarum quippe dulcedine, dum mentem refici ſaepius intelligimus, corporis quoque conditioni optime conſulitur, tanto tamen crebrius homines, ne in iſtis capiendis, tum impetuoſiore libidine laceſſiti, tum prauo aliorum exemplo ſeducti, modum excedant, cohortandos eſſe, facile erit intellectu, cum grauioribus et diuturnioribus vtique moleſtiis, fores a cauſa iucundiore, vltro inuitata atque clandeſtino greſſu ſerpente, facilius, aut certe frequentius, maiore tamen cum opprobrio pandi ſciamus, quam ab ea, quae violentius, et vix quidem praeuiſo inuadere attentat impetu. Equidem me in hoc argumento iamtum occupatum fuiſſe, haud ignoro, rem tamen forte non ingratam prorſus me ſuſcepturum reor, ſi quidem in eodem copioſius perſequendo, laborem poſuerim meum. Superesse

b) Epiſt. XXIII. c) OVIDIVS *Amor. Libr. I. Eleg. XII. 104.*

peresse nempe adhuc quaedam intelligo momenta, haud plane praetermittenda, pro eodem amplificando commode factura, atque quorum vberiore explicatione haud obscure doceri possit, non semper recte, atque ab omni tutum viuere periculo, cui non nisi bene viuere volupe est, neque in rerum iucundiorum perpetua perfruitione, omnem felicitatis, multo minus sanitatis, positam esse partem, sed, vti similitudo mater est satietatis, tandemque taedii, ita et ad vitam, commode, aut tolerabilius saltem ducendam, nihil iusta rerum vicissitudine esse opportunius, ita, vt vbertas defectui, gaudium dolori, et hic illi succedens, dum ad vices, quibus humana optime varientur, sapientissimorum olim virorum decreto, maxime conuenire videbatur, corpori quoque a variis malis praeseruando, mentisque alacritati stabiliendae, nihil prudente variatione esse salubrius, incauto vero eiusdem abusu nihil perniciosius, haud obscure iudicari possit.

Oblectamenta in corpus mentemque agunt, aut seorsim, aut simul.

§. II. Esse nempe quoddam corpori cum mente amicabile, arctumque satis commercium, quo fit, vt alterutra parte laesa et turbata, alteri quoque male sit, vtriusque vero integritate constantius persistente, optimae prosperitatis homo ex voto gaudeat felicitate, non demum multis grauissimorum argumentorum comprobandum esse contra secus sentientes ponderibus, reor, cum, quas quotidie intra nosmet ipsos sentimus vicissitudines, menti contingentes, non omni modo ita semper obscure fieri intelligamus, quin corpus aliquam insimul subeat mutationem, haud semper mediocrem. Neque adeo ignotum esse modum aut viam scimus, qua, dum anima in corporis varias partes suum exercet imperium, variarum quoque, quae in ipso fiunt, mutationum fontes detegendi, pateat libertas. Inde enim fit, vt animo affectuum, vehementiorum praecipue, vicissitudine commoto, atque nunc ira, terrore, moerore, desiderio, amore, etc. exagitato, corpus quoque, quantum istud, quod vtrique datum esse debebat, aequilibrium, sit irritatum, non sine molestiarum, saepe grauiorum, sensatione percipiat.

De

Demandatum autem hoc muneris esse subtilissimis istis, quos spirituum animalium nomine salutare solemus, halitibus, dudum inter peritiores constat. Tanta nempe ipsorum est agilitas, vt, vix eorum cursu intercepto, quantum vigori decedat suo, corpus quoque confestim pluribus percipiat modis, cum contra, iisdem in nimium concitatis motum, molestioribus idem quoque conturbationibus animaduertamus obnoxium. Prudenti horum directioni caute prospexisse, inter felicitates artis positum est. Hos vel temere profudisse, vel friuole excitasse, haud impune liberum est. Ipsorum apparatui vero conseruando, haud faciliorem deprehendi constat modum, nisi quem ab alimentorum assumtione, atque laudabilioris chyli, inde peracta elaboratione, quotidie cum fructu expectare poteramus. Ita enim fit, vt, quantum decesserat, postquam alimentorum congrua perfecta fuerat praeparatio, et in corporis substantiam conuersio, quam nutritionem vocamus, hac ratione a chyli, opportune sanguini admixti, subtilissima resarciatur portione, atque vna cum eo, quod intra neruos continetur et mouetur, liquido, per totum corpus dispensetur. Quod, dum fieri necessum esse intelligimus, haud ita friuole, ipsum digestionis, tanquam primarium pro hoc scopo assequendo negotium, quocunque demum modo turbandum esse, sponte sequitur sua, ipsorumque spirituum elaborandorum materiam, in limine statim surreptam, non posse non, dum reliquarum inde pendentium functionum impedita est vis, corporis robori summopere infringendo, commodissimam, non sine insigni periculo suggerere opportunitatem, multis profecto experiri conueniet euentibus. At, e contra, tam mole sua, quam impetus grauitate, onerosi quoque haud infrequenter sunt copiosiores, et vltra modum agiles spiritus corpori, dumque largiore vel progenerantur copia, vel quauis alia de causa in rapidiorem adiguntur cursum, functionum variarum, quae debito ordine, neque praepropere nimium peragi debebant, accelerando labores, iniqui et minus prouidi dispensatoris ad in-

ſtar, vna vice et breuiore tempore, nobiliſſimum iſtum diſpergunt apparatum, et prodigalius, absque fructu, quod longiore demum ſpatio vtilius adminiſtrari poterat, diſſipant. Vtroque modo, et corpori et menti, ad cuius operationes ex voto peragendas, ſpirituum vel maxime opus eſt actiuitate, offici, haud vllum ſupereſt dubium. Ad excitandorum tamen praeprimis, nimium vehemente commotione ſpirituum, mox vero ad incitas ante tempus redigendorum cauſas, variis triſtioribus effectibus, in corporis vigore labefactando, cognoſcendas, oblectamenta quoque haud pauca, opportune admodum referenda eſſe, vix quemquam negare poſſe, arbitror, cui, quam intempeſtiuis viciſſitudinibus eadem ſaepius ſuſcipiantur, perſpectum eſt. Quantum tamen ſit, quod menti ſolummodo inferatur damnum, ne nimium extra inſtituti ferar limites, hic diſquirere haud eſt volupe, cum corporis humani tantum, quatenus menti iunctum eſt, iam habere rationem, hic praeprimis conſtitutum ſit. Quamuis enim inficias ire nolim, varia eſſe forte oblectamentorum genera, quae animo tantum afficiendo videri poterant apta, aliaque praeterea corpori viciſſim ſolummodo eſſe propria, quaeque parum vel nihil ad animum, ſtrictius conſideratum, attinent, aliorum denique eam eſſe indolem, qua vtrique ſimul communia eſſe poterant, inter quae, poſteriorum pericula tanto grauiora vtique eſſe arbitror, quanto difficilius ipſis medelam opponere licet, exoptati euentus ſpe haud deſtitutam, priorum tamen iam plane miſſam facere lubet disquiſitionem, alio tempore ſuſcipiendam, de poſterioribus paucula, haud forte plane ingrata futura, expoſiturus.

Natationis incommoda.

§. III. Cuilibet autem aetati pariter ac ſexui, ſuam eſſe, in oblectamentis ſibi ſeligendis, propriam propenſionem, atque iuniorum ingenia, in illis, quae ſuae conuenire exiſtimant conditioni atque virium modulo, ſuſcipiendis recreationibus, ſatis aſſidue occupari, atque ſibi haud parum placere, nulli ignoramus. Inter has, poſtremo non eſſe ponendam loco natationem, cenſeo, cuius quippe dextre et appoſite peragendae,

gendae,

gendae, tanto nonnullos antiquioribus temporibus fuiſſe captos deſiderio, conſtat, vt, dum in eadem rite addiſcenda toti erant, opprobrium inſcitiae atque ruditatis effugi hac ratione poſſe, crederent, quo alios, qui neque natare, neque literas didicerant, a prudentioribus intelligebant contaminatos *d*). Atque inter ea vtique exercitia ponendam eſſe natationem, non dubitauerim, quae nec vſu ſuo carent, nec, cum non niſi cum dexteritate ſint ſuſcipienda, omni laude deſtitui poſſint. Scite quippe mouendae quaedam corporis ſunt partes, atque ita dirigendae, vt, dum vario flexae modo, vndas quatiunt, fluctuum rapiditate ſuperior euadat natantis vis, quo non facto, ſubmerſionis et ſuffocationis periculum, iuſtum temeritatis et imperitiae euadere praemium, haud infrequenter experiuntur, qui, dum ſe artis huius magiſtros reputabant, nondum tironum ſeſe egreſſos fuiſſe limina, fluminum vorticibus abrepti, ſentiunt, vel caſu in aquas delapſi, earundem violentiae ſuccumbere coguntur. Inde eſt, quod Graeci, quos artis huius haud fugiebat neceſſitas, dum ſuos adoleſcentes, in omni diſciplinarum genere conſtituebant erudiendos, ſuadente et praecipiente ARISTOTELE, eosdem gymnaſticis quoque imbuendos curarent diſciplinis, inter quas, natationis dextre ſuſcipiendae artem, haud fuiſſe poſtremam, ſcriptorum antiquiorum edocemur teſtimoniis, dum corpori bene exercitato, firmitatem ad aliqua officia conſtanter ſubeunda addi, haud ſiniſtro iudicabant argumento *e*). Quo pari laudabili inſtituto, apud Romanos morem inualuiſſe legimus, vt iuuentus, quae bellicis muneribus aliquando fortius exercendis animum dederat, ad corpora aptiora et agiliora reddenda, nandi ſtudium ediſceret *f*), vnde et OCTAVIVS AVGVSTVS, CAIVM et LVCIVM, quos ſibi adſciuerat filios, ſcientiſſime poſt literas,

 natan-

d) Vid. ERASMVS in prouerbio *neque natare, neque literas.*

e) Vid. ALEXAND. ab ALEXANDRO Lib. II. cap. 25.

f) Teſte eodem ALEX. ab ALEXANDRO Libr. I. cap. 20.

natandi artem doceri iuſſit *g*). Vix ergo eſt, cur ARISTIPPI Philoſophi, ſubſcribere prono ſtatim impetu deceat ſententiae, qua durius nimium in quendam decreuiſſe videtur, qui eo, quod egregie natare ſciret, vehementer ſibi placebat, quemque irridens, *non te pudet*, inculpabat, *de his rebus inſolenter adeo te iactare, quae delphinorum et ranarum ſunt propria h*). At, cur et quandoque animalia imitari, atque ab ipſis quaedam didiciſſe pudebit, quae in vſum verti mortalibus non vnum poterant? an poenitebit ab Ibide clyſmatum percepiſſe vſum, atque eam corporis partem artificiali perluiſſe iniectione, qua ciborum onera ſalubrius erant reddenda *i*)? an venaeſectionis, chelidonii, aliorumque medicaminum ignobilior erit conditio, quoniam animalibus, nec ſolius humani ingenii debentur felicitati? Sed redeundum eſt ad rem. Eſt autem praeter exercitationem, oblectationis quidam in natatione modus, pueris praecipue haud infrequens, a veterum tamen natatione admodum diuerſus. Aeſtiuo enim tempore aërisque calore vrgente, ad fluuios abſque neceſſitate ſaepius decurrere ſolere petulantiores, atque balneo frigido et natatione oblectari, res eſt, quotidie propemodum obuia. Atque fieri vix poteſt, vt ita corporis ſui curam gerant adoleſcentes temerarii, quin, dum ſudore ſunt perfuſi copioſiore, atque motione vehementiore incaluerunt, in frigidam, ſummo cum ſanitatis diſpendio, proſiliant aquam, refectionis inde quidem expectaturi ſolatium, difficulter tamen impetraturi. Quo magis enim poris, tempore tranſpirationis, adauctae praeprimis, liberius patulis, proſpiciendum eſt, ne violentius, et vno quaſi impetu occluſi, ſeri, quod hac excernendum erat via, vlteriorem exitum praepediant, tanto moleſtiorem eiusdem, ad oſtiolorum horum fines excitatam retardationem atque retropulſionem futuram, atque faciliorem inde, ſtaſibus maxime incommodis, doloribusque poſtmodum et tumoribus haud vulgaribus, ſuggeri opportunitatem,

g) Idem Libr. II. cap. 25. h) DIOGENES LAERTIVS Lib. I. c. 8.
i) Iuxta PLINIVM Libr. VIII. cap. 27.

tatem, certo certius coniici poterit, quo euidentius patet, humores ſegnius fluentes, parcius excretos, aut plane ſuo exitu priuatos, nouisque nihilo minus acceſſionibus auctos, aliaque via nec reſorptos, nec eiectos, peregrinis admodum effectibus producendis euadere aptiſſimos. Quod, cum in natatione, minus caute inſtituta, fieri facillimo negotio poſſe, extra dubium poſitum ſit, non certe exteriorum partium ſolummodo morbis faciliorem parari poſſe viam arbitror, quin et, excitata intra interiores partes, et viſcera nobiliora ſtagnatione, durisſimiorum malorum, temerarie prouocandorum, atque vix omni artis poſtmodum dexteritate vnquam reparandorum, haud praereptam eſſe opportunitatem aggreſſionibus, facillime augurari quemlibet poſſe, nullum ſupereſt dubium.

§. IV. Succedit alia oblectationis ſpecies, adultioribus quidem non plane infrequens, iunioribus tamen, iure forſitan inuentionis, vel certe poſſeſſionis, fere ſolennior, qua, corporis non ſolum proſpicitur agilitati, ſed et, in qua rite exercenda, dexteritate, et accuratione opus eſt. Conorum puto luſum, cuius forſitan aliqua veſtigia, iam pro more ſeculi aliquantum mutata, ſi in gymnicis quibusdam antiquorum ludis aut certaminibus quaeſiueris, vbi inter alia diſco, atque iactatione certabatur, haud plane a re aberrabis *k*). Hunc vero noſtratium ludendi modum, duplici praecipue ratione, atque nunc grauiore, nunc leuiore labore, corporisque ſuſcipi poſſe agitatione, pene inter omnes conſtat. Conuenit in eo vtriusque modi conditio, quod ſphaera lignea, coni in remotiore poſiti loco, e longinquo petantur, proruantur, atque in numeroſiore eorundem proſtratione, lucri praemium poſitum eſſe ſoleat. Inſtrumentorum tamen et laboris par non eſt apud omnes qualitas. Delectantur nonnulli ponderoſis grauioribusque ſphaeris, ſumma vi a meta propoſita ad conos iactu demittendis, qui laborioſior, corpus artusque praeprimis mouendi modus, cum non ſine inſigni ſuſcipi defatigatione poſſit, haud ab omni vacuus eſt incommodo.

Conorum luſus.

k) Vid. ALEX. ab ALEXANDRO Libr. V. cap. 8.

Expandenda ſunt crura, corpus incuruum indipiſcitur ſitum, brachiorum, jactando exercendorum, frequentior eſt intra articulationes commotio, temporis ſpatium ſaepe adeo diuturnum, vt per plurimas horas, imo in mediam noctem protrahi haec ſoleat oblectatio, ab immoderatis ipſius fautoribus, parum fere adhuc iſta ſatiatis, aegre tandem finienda. Quae cuncta, cum non ſine ſudoris nimio diſpendio, partium ſolidarum attritu et diſtenſione, iunioribus et flexilioribus corporibus praecipue, vel leuiore de cauſa, facillime euentura, fieri poſſint, nihil certe erit, quod de articulorum dolore, languore, imo herniis, ſaepius inde contractis, qualia non rara ſunt exempla, mirari conueniat, cum et hic limites moderatioris tranſiliiſſe vſus, haud omni carere queat moleſtia. Nequid dicam de ipſo minus ordinato, dum luſui huic vacatur, vitae genere, variisque refectionis modis, quibus, dum vires reſtaurari poſſe, peruerſe ſatis creduntur, ſanitatem magis turbari, perſaepe experimur. Ecquis enim erit, quin ſciat, quantum reprobandus ſit turpiſſimus iſte, dum corpus nimium incaluerat, potandi mos. Siue autem tepidum, ſiue, quod longe peius eſt, frigidiorem aſſumſeris potum, nihil erit, quod non ad humores vel nimium condenſandos, et extemplo alterandos, vel ad eosdem in citatiorem motum adigendos, proximam ſuggerere poſſit opportunitatem, imo haud procul ab inſania abeſſe videbuntur, qui ſpirituoſis potulentis, ſpiritus quoque commodius excitari poſſe, rati, proximam, ſanguinis flumine accenſo, aut ſtaſibus et obſtructionibus, aut inflammatoriis morbis pandunt viam. Moderatior paulo eſt corporis exercitatio, ſi quidem alio, qui fere nunc frequentior eſſe conſueuit, inſtituatur conorum luſus modo, dum a longiore quidem termino, ſed leuioribus ſphaeris, haud ita operoſa violentia demittendis, coni quoque minores petuntur. Neque tamen hanc quoque oblectamenti, quamuis non adeo laborioſi ſpeciem, indiſtincte omnibus ita conducere ſubiectis, credendum, quin et nonnullorum ſanitatem hic periclitari, facili iudicari poſſit negotio. Quibus

enim

enim vel a leuiore quoque motione ſanguis incenditur, vel copioſior ſudoris prolicitur prouentus, aut a reſpiratione difficiliore thorax laborat, tanto magis damnoſa haec eſſe poterit oblectatio, quanto citius intra breuius temporis ſpatium, inſignior laudabiliorum humorum iactura, adeo promte vix reparanda contrahitur, atque, quod ſuperfluis ſaltem particulis eiiciendis conuenire putabatur exercitium, nobilioribus quoque et vtilioribus inſimul diſſipandis, vel impetuoſius ad viſcera depellendis, indeque partibus ſolidioribus facile corrumpendis, corporique magis eneruando, quam roborando firmandoque, opportunum euadit. Cumque, vti in omnium rerum, ita et in iucundiorum praecipue vſu, vix ſemper iuſtis coërcere ſoleat deſideria ſua frenis, iuuenum leuitas, aut adultiorum nimia, in vigoris ſui conſtantiam, haud facile euertendam, fiducia, parum obſcura quoque patet ratione, quam indubitato, exoptatus qui hic ſperabatur euentus, expectationi vix ex voto facturus ſatis, praeuideri poſſit.

§. V. Eſt, praeter plurima, non minus damnoſa, aliud quoddam, cuius iucunditate nonnulli petulantiorum mire trahi ſolent, oblectamentum, quo, ſi quidem ingenue fateri liceat, carere profecto poterant, cum et non deſint amoeniora pariter ac vtiliora, ad corpus prudenter et ex voto mouendum, tempusque ſuauius terendum adminicula, nec adeo difficulter impetranda, nec tam grauibus noxis iuncta. Placet autem haud paucis oſcillationis luſus, dum funi, ad extrema firmato atque demiſſo inſidentes, vel ſuper petaurum collocati *l*), huc illuc rapidius agitari amant, atque vix, niſi ſenſibus valde conturbatis, et longiore motitatione fatiſcentibus, eiusdem nequitiae ſociis, ſimilem voluptatem appetentibus, nec ſodalium noxis deterritis, locum concedunt *m*). At, dum ita antrorſum retrorſum ſubito vertuntur adoleſcentuli, quod imprudentioris huius

Oſcillationis noxae.

l) Vnde et olim *petauriſtarum*, vel *petauriſtariorum* nomen innotuit, quorum artes deſcripſit VARRO apud Nonium I. 277, et PETRONIVS c. 47, 53, 60.

m) De luſus huius antiquitate et origine plura habentur apud FESTVM *de verbor. ſignific.* monumenta, vid. PETRON. c. 140.

huius exercitii indiuiduum statim experiantur comitem, vertiginem nempe, titubantia ipsorum, finito per aëra itinere, manifeste declarant crura, atque de incommodis, haud prorsus vulgaribus, presso pede lasciuiores istos ausus insecuturis, testantur. Accidit fere his, quod vel ebriis, vel infantibus in cunis nimium agitatis, qua de re in superiore dissertatione, (§. III.). dictum fuit, euenire solet, dum spirituum confusione, continua hac iactitatione, et impetuosioris causae violentia, excitata, ipsorum, qui ad neruos, indeque ad reliquas partes, oculos praeprimis, in vicinia cerebri positos, recta via, placideque deriuandus erat cursus, interceptus atque extra limites adactus confusis quoque, iisdemque aegerrime ferendis repraesentationibus producendis aptus redditur, cui malo saepissime caliginem et scotomata iungi, ipsumque vtplurimum totius corporis lapsum tandem subsequi, res inter pathologos haud est ignota. Qui inordinatus vitiosusque, spirituum e cerebro, versus reliquas corporis partes, et visorium potissimum organon, succedens motus, quo crebrius prouocatur, tanto quoque facilius fieri posse, sponte sequitur, vt neruorum principia, tali violentia commota, et in officio suo peragendo conturbata, in spirituum dispensatione rite prosequenda, segniores tandem, copiosius videlicet absumti, reddantur, atque inde totius machinae agilitati, a subtilissimarum harum particularum vigore et incolumitate vel maxime pendenti, haud parum detrahatur. Atque hanc, ad vertiginosos affectus, corpus imprudentius disponendi temeritatem, tanto maiore cura, in teneriore potissimum iuuentute, fugiendam esse, vel me non monente, facile est diuinatu, quo celerius pessimum hunc morem, in inueteratum tandem malum degenerare posse, haud paucis conuincimur rationibus *n*). Imo et eadem de causa, vomitus molestioris deriuanda esse incommoda, priori malo frequentius succedentia, haud vllum super-

n) Confer. CHRISTIAN. LVDOV. CHARISII Differt. *de vertigine*. Regiom. 1715. habita, GEORG. HAMBERGERI Differt. *de vertigine*. Tubing. 1589. HERM. CONRINGII Differt. *de vertigine* 1650. edita.

ſupereſſe dubium, opinor. Nerui enim ad ventriculum decurrentes, iuſta fluidi, quod per eoſdem deferri debebat, quantitate priuati, aut, quod nimia fit motione, ſpirituum confuſo irritati turbine, praepoſteris quoque intra viſcus hoc producendis commotionibus apti redditi, violentiori et inuitae contentorum ventriculi egeſtioni, limina pandunt. Nec reſpirationi ſua deerunt incommoda. Aër quippe, tempore librationis iſtius fortioris et diuturnioris, atque raro ſine clamore et vociferatione, vti nempe mos puerorum eſt, ſuſceptae, maiore, quam a pulmonum vaſis atque folliculis ferri poterat, copia, intra viſceris huius latebras protruſus, ipſius non ſolum ſanguinis citatiori nimium motui, fomitem ſuggerit commodiſſimum, ſed et, cum eadem, qua inſpirabatur quantitate, exſpirari nullo poſſit modo, intra cellulas organi adeo teneri, moram nectens minus opportunam, difficiliorem anheloſamque reſpirationis neceſſe eſt producat actionem, neque omnem inflammationis, in pulmonum aut vicinia, aut ſubſtantia velocius accendendae, tuſſis ſpaſmodicae, grauiorumque inde oriundarum moleſtiarum, ſupprimit ſuſpicionem.

§. VI. Inde et eſt, quod paribus de cauſis, iam ſatis ſuperque declaratis, vel maxime omnes praeterea reprobandi ſint oblectationum ludorumque modi, fuſius quidem hic, vtpote plane notiſſimi, non enumerandi, oſcillatione fere adhuc peiores, quibus, corpore, machinarum praecipue variarum auxilio, in gyrum agitato, ſenſibilis admodum fit humorum acceleratio, perturbatio, atque vel immoderatior imminutio, vel certe impetuoſior intra vaſa et viſcera commotio, aequilibrio, quod ſolida inter et fluida celebrari debebat, facillimo negotio tollendo, prorſus idonea. Ex quibus cunctis, cum, vti quemlibet haud difficulter perſpecturum confido, vertigini, anheloſitati, internarum poſt modum partium corruptionibus, capitis doloribus, ſenſuumque debilitationibus, ſimilibusue incommodis, facilior in corporis integritatem deſaeuiendi ſuggeratur opportunitas, variaque, quae antehac non ſentiebantur in cor-

Aliorum ludorum, quibus in gyrum vertitur corpus, moleſtiae.

poribus ex voto valentibus, mala, vltro aduocentur, diuturniore atque pertinaciore istiusmodi exercitiorum, minus omnino congruorum continuatione, in prauam facillimo negotio consuetudinem abire solita, et in chronicas molestias degeneratura; tanto certe facilius coniici poterit, quam diligenter ab oblectationum harum exercitio, istis potissimum cauendum sit subiectis, quibus iamtum ad praedictos morbos habitualis quaedam est dispositio, plurimis dudum cognoscenda indiciis, quaeve vel a leuissima motione, dum asthmate, alioue thoracis laborant vitio, difficilius respirant, aut obiectorum quorumuis, inopinam, imo parum saltem velocem repraesentationem, aegre ferunt, neruorumque et fluidi subtilioris, cuius per istos canales iter, tranquilliore absoluendum erat cursu, haud mediocri se laborare debilitate, aut inopia, haud obscuris commonstrant documentis. Et, quid quaeso est, quod iuniores magis deceat, quam ita suae prospicere sanitati, atque ita corporis bene valentis vti robore, ne saeuiorum periculorum, mature satis prouocatorum, perpetua molimina et quotidianas attentationes, summopere molestas, dum per omnem posthac aetatis decursum, cum dolore sentire coguntur, quam negligentes in iuuentutis et vegetioris constitutionis beneficiis, cum fructu vsurpandis, aut operosius conseruandis fuerint, non sine pudore reminisci oporteat. Quo saepius enim accedit, vt, quae in prouectiore aetate haud emendari vlla poterant arte, corporis aegritudines, solo quandoque vegetioris constitutionis beneficio, in iunioribus constanter superentur profligenturque, tanto quoque certius suspicari conueniet, naturam, tenerioris statim vitae temporibus violatam, infirmatam, atque friuole lacessitam, vix ita fore semper placabilem, quin potius beneficentiae suae abusum, atrocioribus rependat poenis, atque quam parum benignitatem tantam, nimium temerariis ausibus, in sui impendere liceat damnum, sensibilibus admodum declaret monitoriis.

§. VII. Va-

§. VII. Valeant iuniores, vt plenior sit aliquantum, rem cum paulo adultioribus habendi libertas, quorum adhuc quasdam dispexisse oblectationes, tam publice, quam priuatim susceptas, haud omnino pigebit. Nondum, vti quidem multis caeteroquin rebus, vel sola vetustate taediosis euenit, in desuetudinem plane abiit, qui olim quoque frequenter satis, atque a viris eminentissimis exercebatur, pilae lusus *o*), vario, pro aetatis nempe, vti videtur, conditione, suscipiendus modo. Pila minore, de qua iam nihil monebo, reticulo excepta, et per vices repulsa, infirmioribus luditur adolescentulis *p*). Maior est in sphaeristeriis publicis pila, quae lignea, ponderosior, atque panno aut corio obducta, ad diuersos, magna satis cum violentia terminos, propellenda, excipienda, retorquenda est; ad quod exercitium, secundum artis praecepta scite suscipiendum, robustiore vtique opus esse corporis habitu, facile colligi poterit. Multum quippe datur praeprimis manibus et brachiis negotii, *Pilae maioris lusus.*

si rite volantem,

aut geminare pilam placet, aut reuocare cadentem q),

et, quo altior est, quorsum propelli debebat pila, locus, tanto maiore istorum membrorum opus erit motione, et vehementiore, continuoque musculorum, mutuo agentium, officio. Nec et toti corpori suus deficit labor, dum saepius cursitando pedes exercentur, neque in curatiore attentione et obseruatione adhibenda, capitis oculorumque, nunc huc, nunc illuc velocius vertendorum, actioni, vlla datur remissio *r*). Praeterquam

o) Pila ludebant Philosophi, *Architas Tarentinus*, vid. ATHEN. L. XII. cap. 6. *Socrates*, vid. VALER. MAXIM. Libr VIII. imo viri principes, exemplo *Augusti Caesaris*, vid. SVETON. cap. 83. *Alexandri*, vid. PLVTARCH. in vita ipsius.

p) *De pilae paruae vsu*, peculiarem, quem GALENVS conscripsit, contulisse iuuabit libellum.

q) LVCANVS ad Calpurn. Pison. 173.

r) Plura, ad pilae lusum, eius originem, et pleniorem descriptionem facientia, olim iamtum exposui in Dissertatione *de exercitiis corporis illustrium praecipue personarum*, sub B. BAVERI Praesidio Lips. 1726. habita.

terquam autem, quod huius oblectamenti administratio, inter ea ponenda sit exercitia, quae non nisi parcius ab ipsis quoque robustioris conditionis subiectis, vegetis viribus, pulmonum integritate, musculorum, ligamentorum, ossiumque vigore gaudentibus, suscipi debebant *s*); dum nempe infirmando corpori peridonea euadere potest, diutiusque protracta, solidioribus partibus nimium atterendis, fluidioribus vero prodigalius consumendis, opportuna redditur; id saltem quam maxime suspicari conueniet, non omnem luxationis humeri, haud adeo profunde scapulae, et non nisi per arthrodiam diarthroden, atque γλήνην satis lubricam planamque commissi, iunctique, cessare metum. Diutius quippe, ac violentius agitatam humeri articulationem, prae ceteris omnibus mobiliorem, dum sursum, deorsum, ad latera, antrorsum, retrorsum, variis modis flectendum erat membrum, nonnisi cum musculosarum, tendinearumque partium, atque ligamentorum perpetua motione et extensione perfici posse, certum est, vnde fieri non poterit, quin, tono motorum suorum, tam extensioni, quam flexioni, elationi et depressioni vacantium, remittente, et varia ossis, intra articulum suum volutatione accedente, extra suos tandem feratur, improuida praecipue concurrente detorsione, terminos, ipsi firmiter satis, atque ita, vti in aliis articulorum insertionibus, e. g. femoris cum acetabulo, aut ginglymo quodam, ob profundiorem et mutuam fieri poterat commissuram, coërcendo et protegendo, non sufficienter pares.

Peculiare paganorum exercitium, (Kletterstange) improbatur.

§. VIII. Quo difficiliora vero, quoue maioribus incommodis, vix quidem assidua atque impigra tandem opera deuincendis, iuncta quaedam sunt oblectamenta, tanto pulchriora nonnullis videntur, quibus placere nihil solet, nisi quod multo demum acquirendum erat labore, quamuis non semper opportuno. Referendum huc eapropter non sine ratione, indeque nec sine

s) CICERO de senectute: *Haec actio non senum, aut aetate prouectorum erat, quibus non firmum latus, aut annis exhaustae vires.*

ſine quadam cenſura praetermittendum volui ſolennem illum, qui inter ruricolas praecipue noſtrates, a longo iamtum tempore obtinuit, morem, quo, certo anni tempore, vtplurimum calidiſſimo, dexteritatis in gradiendo ſpecimina, ſpectatoribus, huius periculoſioris tentaminis neſcio qua cupiditate ductis, per quosdam dies, non ſine inſigni ſua edere conantur moleſtia. Magnus nempe eſt, qui in altum erigitur contus, procerae arboris, ſeu mali naualis inſtar in aëra elatus, cuius faſtigio variorum veſtimentorum, idque genus ſupellectilium diuerſitates affixae, audaciores ad praeceps iter aggrediendum alliciunt, quo exacto, ipſis aliquam praemiorum iſtorum, ſibi ſumere, liberum datur partem. Quo vero tum difficilior ſit in altum aſcenſus, tum et riſui forte praeſentium non deficiat opportunitas, glabrior redditur tigni ſuperficies, oleo aut pinguedine inungenda, tantoque maiore cum plauſu, iſtis decernenda iudicatur palma, quibus, non obſtantibus aut proceritatis aut laeuitatis impedimentis, exitioſam pariter ac operoſam hanc, feliciter emetiri contigit viam. Quod ſi quandam ab hoc exercitio expectandam ſcire cupias vtilitatem, nullam me profecto, ne diuinando quidem aſſequi valere, ingenue profiteor, niſi eam forte, quae popinarii, a confluente turba accedat loculo. Quantumuis enim agreſtem degentibus vitam, eo videatur eſſe allaborandum, vt durioribus et grauioribus laboribus mature aſſueſcant, atque membrorum validiorum ſibi quouis modo contrahant vigorem, cum talem ipſos viuere vitam deceat, *quae fructum nullum, nullumue noſcat quaeſtum, niſi quem labore pepererint t)*, longe tamen alia, minusque pernicioſa, hunc impetrari poſſe finem via, nemo non prudentior perſpicit. Quinimo, contrarium plane euentum, nimiam hanc, atque ſine omni conſilio ſuſceptam fatigationem comitari, compluribus colligere licebit rationibus. Summa eſt, quae vniuerſo corpori infertur vis. Quo nimirum altius eſt aſcendendum, quoque magis attenuatur conti, reptabundo manuum et crurum, de-

t) CICERO in Orat. pro *Sext. Roſcio Amerino.*

cuſſatim comprimendorum, amplexu tenendi diameter, tanto quoque operoſius, de tota corporis mole, tum firmiter ſuſtinenda, atque vlterius ferenda, tum, ne in praecipitium detur cuſtodienda, curandum eſt. Atque hac ratione omnibus muſculis, iſtam functionem vnito labore perficientibus, nonſolum graviſſimum ſubeundum eſſe negotium, vix ipſorum viribus par futurum, intenſior, quam adhibent temerarii iſti, opera, magno cum ſudore iuncta, abunde teſtatur, ſed et ſpirituum hic nimiam ſuſcipi conſumtionem, reſpirationis turbari libertatem, tranſpirationem vltra modum augeri, humorum circulum excitari, atque eosdem ad reſolutionem citra rationem diſponi, ex laſſitudine et exaeſtuatione, hoc exercitium preſſo pede comitatura, ſatis aperte colligitur. Nec tamen ſolum muſculis delaſſatis, labor iſte minus proportionatus, ad quem adſtringi ipſos oportet, ſummo eſt detrimento, quin et, cum ab extenſione nimia, ſi forte manus pedeſque, arctiſſime comprimendi, officio ſuo deeſſe velle, atque lapſum minari videantur, haud immunes euadant, maximam toni ſui, hac quoque ratione patiantur iacturam, quam neceſſario ſubire coguntur, dum caſus ab altiore iſto loco, non ſine inſigni conamine, vel plane eſt auertendus, vel grauior iamtum imminens, quouis modo alleuandus. Atque hic praeprimis tum humeri articulationi dislocandae, tum et abdominalibus muſculis, reliquisque eius integumentis, tam enormi profecto molimine ad rupturam vſque diſtendendis, vix excuſanda quadam proteruia, omnem ſuggeri opportunitatem, tumoribusque tam herniofis, quam aliis, in abſceſſum facile degeneraturis, ſedem parari, atque triſtem, audacioribus voluptatum harum intempeſtiuarum atque ineptiſſimarum autoribus, per omne vitae tempus relinqui recordationem, nullo dubitare licet modo. Grauiſſimum vero, quod procaciores iſtos ſcanſores expectare tandem poterat periculum, lucello, quod captare cupiebant, longe ſuperius, vertiginoſis debebitur commotionibus, ab altitudine loci, qui petebatur, facile excitandis, atque illico, ob ſenſus obnubila-

tos,

tos, et spiritus conturbatos, subitaneum delapsum, ossium fracturam, imo repentinam mortem conciliaturis. Adeo vero perniciosis exercitiis membra firmare, corporisque robori accessionem parare velle, non nisi desipientis est, prudentius profecto acturi, atque exoptatum ex voto, et absque vllo discrimine finem impetraturi, si vomere terram saepius proscindat, atque paterna rura bobus diligentius exerceat suis, quorum fructuosos prouentus, haud adeo longo distantes interuallo, sed ante pedes sibi nascentes, maiore cum oblectamento colligendi, libertas patet, adeo exitioso delectamento longe anteferenda. Semper enim

exitium prudens ante pericla cauet.

Solennia piscatoria.

§. IX. Ab aëre ad aquas deueniendum est, quarum nonnulli trahuntur amoenitatibus, atque quibus nonsolum flumina, stagna, lacus, ratibus traiicere volupe est, (vid. praecedentis Dissert. §. IX.) sed et in perquirendis huius elementi diuitiis, tempus non sine iucunditate consumi posse creditur. Solennia haud paucis sunt anniuersaria sacra piscatoria, non quidem aestiuo tempore, romanorum more celebranda, qui Iunio mense eadem instituebant, sed frigidiore, et exosa cunctis autumnali tempestate suscipienda. Deuenitur mature satis, coelo tamen saepius adhuc nubilo, ad piscinas, atque, ne quisquam in apparatu coordinando, officio suo desit, dispicitur. Demittuntur tandem retia, atque ad ripas per plures horas sedendo vel deambulando, operosioribus piscatorum laboribus interesse, plenasque piscibus fiscellas, frequentiore tractu nouis semper accessionibus auctas, assidua versare manu, vt aquosorum prouentuum delectus fieri possit, inter voluptates ponitur, quibus, quam saepe variae sint iunctae molestiae, tribus tantum declarare lubet verbis. Inter aëris autem vitia, nimium humidus, atque crassioribus insimul moleculis mixtus, vaporibusque peregrinis inquinatus, primum fere obtinet locum, atque tanto magis ipsum esse crediderim euitandum, quanto pluribus modis, nonsolum intra corpora nostra delatus, sed et, dum eadem

dem exterius ambit, geminato quasi impetu, aduersitatis suae exercere poterat violentiam. Neque est, quod de insigni, organo respirationis conciliando detrimento, ab autumnali, ipsoque qui ex colymbis et piscinis exhalat, grauiore putidoque vtplurimum aëre, excitando dubitemus, cuius nempe spiculis, adeo moleste interiores pulmonum cellulae, ipsaque trachaea satis caeterum valida, feriri solent, vt tussi aut raucedine confestim fere saepe corripiantur, aëris mutationibus praeprimis parum assueti. Istas vero heterogeneas particulas, nonsolum, dum intra pulmones diutius haerent, lentae tandem corruptioni visceris huius sternere viam, sed et, vbi sanguineo flumini, cui per vtrumque pulmonem copiosior est transitus, admiscentur, ipsius condensatione conciliata, stasium variarum causas euadere posse, capitis dolores, catarrhi varii et serosi confluxus, sensuum turbae, et id genus duriora incommoda, haud infrequenter sedem fixam, vel certe pertinaciorem sibi parantia, abunde edocent, hasque delectationes absque mora quandoque comitantur, atrociora insuper euasura, si ipsi, qui ab aëris externe ambientis iniuriis producuntur effectus, assiduam, minus tamen exoptatam conferant operam. Quo enim liberior, aëri austeriori ad poros cutaneos patet accessus, quoque faciliore negotio, ipsorum inde fieri obstructionem, atque transpirationis interceptionem, nostro quandoque intelligimus exemplo, tanto quoque facilior coniecturae dabitur locus, ad causas arthriticorum potissimum dolorum, aliarumque obstructionum, exteriores magis partes inuadentium, explorandas atque detegendas, celeri pede quidem accessuras, sat magno tamen labore, imo vix semper ex voto penitus dispellendas, atque, ne recursum moliantur, impediendas.

Agyrtarum et praestigiatorum actiones.

§. X. Omnium tamen oblectamentorum ea non est indoles, vt, veluti de hactenus expositis sperari poterat, corpus inde semper exerceatur, vel ad eadem suscipienda, partium ipsius laboriosioribus opus sit functionibus. Numerosa quippe satis praeterea sunt delectationum genera, quae, dum sensibus saltem

tem pascendis inseruire creduntur, nihilo tamen secius variis, ipsi corpori damnosis futuris molestiis inducendis apprime conducere poterant. Mitto iam spectaculorum publicorum, aliarumque id genus repraesentationum festiuarum disquisitionem, alio tempore, atque opportuniore instituendam loco, agyrtarum saltem, praestigiatorum, funambulorum exercitia, non omnibus promiscue spectanda, paucis expositurus. Ineptissimum profecto hominum genus, gesticulationum suarum mira variatione, ad sua ludicra spectanda, curiosiores fraudulentius alliciens, veterum tropaeorum *u*), ioculatorum, et gelasianorum ad instar, qui agili corporis aut membrorum volutatione, gestuumue ludicrorum lasciuorumque saepe varietate, populo charissimi erant, quosque nonsolum Romae fuisse frequentes, atque publicarum suarum actionum nunquam caruisse spectatoribus, ex antiquitatum constat monumentis *x*), sed quos et in nobiliorum domibus sustentatos, ad conuiuas oblectandos, indeque domesticos dictos fuisse, eadem historicorum compertum habemus fide *y*). Quamque parum ab istorum temporum genio, nostri seculi mores, multo certe vitiosiores, distent, e confluente ad istorum homuncionum theatra turba, haud difficulter iudicari posse, arbitror, quorum peregrinis gestibus oculos mentesque oblectari, insciosque decipi, quotidie palam intelligimus. Est, non diffiteor, nonnullorum inter hos vanitatum artifices, adeo saepe agilis dexteritas, non omni quandoque applausu prorsus indigna; atque agyrtarum imprimis

u) Dicebantur *tropaei*, a τϱοπάω vel τϱοπέω, *verto*, quod agillima celeritate corpus verterent, atque cum hinc in risum abriperentur spectantes, *gelasiani* quoque, risum nempe mouentes, audiebant.

x) Vid. plura de variis gesticulatorum nominibus et exercitiis, apud ROSINVM in *antiquit. roman.* Lib. V. cap. 6.

y) IOAN. SARESBERIENSIS L. I. *Policrat.* c. 8. *Desidiam prorogant histriones. Ex occupatis enim mentibus surrepunt taedia, atque sese non sustinerent, si non alicuius voluptatis solatio mulcerentur. Admissa sunt ergo spectacula, et infinita tirocinia vanitatis, salii, balatrones, palaestritae, gignadii.*

imprimis mirari licebit, in variorum obiectorum subita mutatione, enchiresin, vt

quicquid agant, credas, stupefactus imagine veri z).

At, hac ipsa quoque, qua sese compluribus commendare cupiunt, volubilitate, meticulosis saepe, atque ad terrorem pronis, variorum quoque subitaneorum morborum contrahi posse incommoda, tanto minus dubitandum, quanto viuidiorem, imaginationis ex improuiso irritatae, in corpus esse actiuitatem, penes omnes constat, quoue plura prostant argumenta, huius causae tristiores effectus corroboratura, inter quos, si praeprimis epilepticos posueris insultus, a terrore facillime concitandos, parum a vero aberrabis. Summum tamen, atque quam maxima hic attentione dignum est, quod grauidis imminet periculum, quarum potissimum imaginationi, hoc praeprimis tempore, quo vtero gerunt, non facile turbandae, subitanearum, atque saepe horrendarum repraesentationum conspectu, tanta infertur iniuria, quae, cum destructioni, aut prauae conformationi foetus, causam suggerat commodissimam, ipsisque matribus non raro perniciosissima fiat, tristi mercede curiositatis istius impetum rependere solet. Neque adeo ignota esse opinor, ex antiquioribus pariter ac recentioribus obseruatorum scriptis, abortuum atque partuum deformiorum, a causa adeo manifesta, deducendorum exempla, quotidianis accessionibus aucta, quin multitudine sua, asserti huius certitudini declarandae, satis superque sufficiant. Quanto saepius enim accidit, vt ab obiecti peregrini atque deformioris, cuius praesciuerant conformationem, attento nimium aspectu, nouitatis spectandae cupidine adactae mulierculae, monitisque sincerioribus parum obsequiosae, foetui quoque suo similem concilient monstrositatem, tanto magis eadem fata, satis deploranda, temerariarum et imprudentiorum ausibus euentura, certo praesagiri poterunt augurio, quae obiecti insoliti repraesentatione, praeter expectationem comparente, perterritae, imaginationis suae facultati,

z) MANILIVS Libr. V. *Astronomic.*

facultati, confestim et extemplo commotae, confusaeque, minus ex voto imperare, eandemque tranquillius continere, iterumque statim placide obsopire poterant *a*).

§. XI. Est quidam nonnullorum, nescio quid noui ac insoliti affectantium, mos, quo, dum quoscunque sibi obuios, amicitiae forte declarandae causa, amplexibus excipiunt atque deosculantur, hoc singulari prorsus vrbanitatis genere, sibi placere, atque oblectamentum nisi fallor, quaerere videntur. Vtrique sexui hanc esse consuetudinem propriam, isthaec laetitiae et amicitiae documenta, publice vicissim data, comprobant, nec et modestiae praeceptis multum obfuisse videberis, si non sexus tantum tui, sed et alterius basiis delecteris, cum, quod olim quidem inter mores seueriores et minus liberales ponebatur, nunc tamen licere posse, genio quippe seculi mutato, credatur. Humanitatis autem quaedam et hic vestigia non occulte detegi posse, tanto certius asserere licebit, quanto minus ab aliis quibuscunque demum animalibus, hoc dulce celebrari negotium, vix quemquam fugit, adeo, vt hanc hominibus tantum propriam voluptatem, concessam voluerit benignior natura, illiberalius tamen neutiquam profundendam. Non erit, quod in varios, oscula dandi modos, fusius excurram, atque antiquissimas eorundem recolam origines. Quem enim fugit, inde a primis orbis conditi temporibus, gentem, quam sibi solam elegerat deus, tam salutandi, quam congratulandi causa, oscula sibi exhibuisse mutua *b*)? Inde et factum fuisse, vero videbitur simillimum, quod alii populi, rei procul dubio adeo iucundae dulcedine capti, eiusdem consuetudinis extiterint imitatores. Sic romanos, amicos suauio excepisse, no-

Oscula non promiscue exhibenda.

 vimus.

a) Confer. praeter complures alios, FORTVN. LICETVS *de monstrorum causis, natura, et differentiis.* ARNOLDI SORBINI Tract. *de monstris.* CASP. SCHOTTI *Physica curiosa.* MARCELLVS DONATVS *Histor. mirabil.* DEVSINGIVS *de foetu Mussipont.* HILDANVS etc.

b) Exemplo *Aaronis*, Exod. IV. 27. *Arpae*, Ruth. I. 14. *Dauidis et Ionathanis*, 1 Samuel XX. 41.

vimus. Imo, si PLVTARCHO fides habenda, ipsis ius, puellas et feminas osculandi, non tam amicitiae solum causa competere videbatur, quam, vt ex ipsarum anhelitu, non nisi hac ratione iucundius explorando, certo constaret, num vino, cuius vsus femineo sexui reputabatur probrosus, turpisque, ora proluissent *c*). Ipsos, primae ecclesiae Christianos, osculo pacis mutuo, festis diebus sibi dato, tum laetitiae, tum et amicitiae sincerrima edidisse documenta, testantibus id rerum ecclesiasticarum antiquiorum scriptoribus *d*), istumque ritum hodiernum in Russia die Paschatos adhuc obtinere, penes omnes constat. Nolim tamen, omnes huius moris incautos esse imitatores, atque ita hoc capi oblectamento, vt, dum cuiuis oscula figunt, sibi inde peculiarem paratam iri voluptatem, censeant. Non equidem adeo plane suspecta reddere velim suauia, vt philtrorum, de quorum adhuc existentia pariter ac potentia, merito prudentiores dubitant, ipsis concesserim virtutem, atque inde amorem verum conciliari, mentisque propensiones, flecti ad arbitrium votumque posse, audacius asseram *e*); at, nihilo minus, omni prorsus eadem carere incommodo, nolim credant, qui sine discrimine, ora occurrentis siue amicae, siue amici, cum desiderio excipiunt. Non semper omnem omnium amoenum esse anhelitum, oraque plurium non semper moschum thymumque redolere, tantum abest, vt multis demum argumentis, aut obseruatorum testimoniis euincere studeam, vt potius, si ad cuiusuis prouocauerim experientiam, rem vlteriore deductione non indigere, credam. Est oris detestabilis foetor, quandoque a digestione deprauata, aut dentium vitiosorum, vel gingiuarum peiore conditione, aut impuritate venerea alioue morbo putrido, aut munditiei quodam neglectu deducendus, dum spi-

c) Vid. CAROL. GVNTH. LVDOVICI Differt. *de ritu romanorum, osculis explorandi abstinentiam mulierum a vino*, Lipf. 1733. habitam, et VALER. MAX. L. V. c. I.

d) Confer. PETRI MVLLERI Commentar. *de osculo sancto.*

e) Commentatus est in hoc argumentum IO. ANDR. FISCHER in Differt. *de osculo, vim philtri exserente*, Erford. 1719. habita.

ſpiritus ore foras foetentem exhalat odorem,
rancida quo perolent proiecta cadavera ritu.

Has exhalationes, inter quas, quae a contagio venereo oriuntur, peſſimas vtique pono, atque ſumme ſuſpectas, ore excepiſſe, haud tutum eſt. Aërem quippe, cui per varias vias in corpus noſtrum datur ingreſſus, agilitate ſua, facilem indipiſci libertatem, ſiniſtras, in fluidis potiſſimum partibus, excitandi commotiones, ipſa, quae huius vehiculi ope, nobis conferuntur contagioſa mala, praeter innumera alia exempla, teſtantur, quem, ore exceptum, ſaliuae admixtum, atque deglutitum, aut intra pulmones hauſtum, ſi intimius humoribus communicaueris, haud omni poteſtate cariturum intelliges, eosdem ad quaeuis peregrina molimina tentanda, diſponendi, ipſorum craſin corrumpendi, indeque ſolidas quoque tandem partes vitiandi *f*). Quod, cum et quandoque inſciis accidere ſoleat, quanto certius incommodorum perniciosiſſimorum atrociam, ab iſtis prouocatam iri, augurabimur, qui veſano, nequitiae et laſciuiae adacti ſtimulo, oblectamentorum adeo deteſtandorum frequentiore vſu, ita plane ſatiari nequeunt, vt potius, omni pene humanitate abnegata, impurioribus inquinari quotidie poſſe deoſculationibus, inter haud vulgares ponant voluptates, a quibus facilem pronumque, ad quaeuis alia, immoderatae cupidinis crimina perpetranda, eſſe delapſum, certiſſimis augurari convenit indiciis.

§. XII. Ab oſculis, amoris ſaepe praenunciis, ad Veneris nunc quoque progredior caſtra, *Venerem caute colere conuenit.*

procul hinc, procul ite profani.

Non enim turpem eam, atque libidinoſam volo, cuius infamibus blanditiis, et nefandis illecebris, mentes hominum contaminari, corporaque irreparabili tabe inquinata, flagitiorum ſuorum dignas luere per omnem vitam poenas, quoti-

 dianis

f) Pereleganter hac de re dixit B. Illuſtr, PLATNERVS in Diſſert. *de morbis ex immunditiis*, Lipſ. 1737. habita, §. XVI.

dianis proh dolor! edocemur factis. Licitam, honestamque, quae inter ingenuos, et sacro amoris vinculo iunctos celebratur, paucis cupio, moderatiorem non dissuadebo, intempestiuam nihilominus, non omni vacare molestia, commonstrabo, imo de eadem plane vitanda, quosdam monebo. Est quandoque in veneris militia nouitiorum, nescio quis, ad praelia isthaec dulcia, paulo immoderatius, crebriusque, atque nimium constante animo gerenda impetus, quo, dum praesentium voluptatum fruitione vix satiari posse putant, citatiore, quam per aetatis euenturum erat conditionem, cursu, locum sibi inter emeritos, rudeque maturius donandos merentur, illius immemores praesagii:

In ipsa non excedendum.

turpe senex miles, turpe senilis amor.

Inordinatae huic cupidini, dum frena iniicienda esse, prudentior quilibet perspicit, alterius quoque partis optime consultum iri desideriis, tanto confido certius, quanto lubentius, quemlibet diuturniore rerum iucundarum vsu, non nisi moderatiore earundem administratione obtinendo, frui velle arbitror. Vti enim sapientis est, cuncta ad rationis metiri normam, ita et in oblectationum coniugalium vsu, *si hanc*, fidelissimam quippe actionum magistram, *sustuleris, nihil aliud quam morbum efficies g)*. Atque, si paulo propius ipsa, actioni adeo et necessariae, et voluptatis plenae, dispicere lubeat organa, et quae ibidem elaborantur et deponuntur, contenta fluidiora, nihil erit, quod non subtilissimam ipsorum testetur fabricam, tanto facilius ab immoderatis, negotii quod per eadem absolui debebat amatoribus, quos

malus abstulit error h),

tur-

g) MAXIM. TYRIVS Differt. X. p. 101.

h) VIRGILIVS Eclog. VIII. 41. Quam apprime Veneris vsus cum euphoria celebretur, ad melancholiam, chlorosin, aliosque morbos grauiores praeseruandos, vel et ex voto tollendos, quamue e contra perniciosus ipsius vsus, tam nimius, quam et pro subiectorum conditione, intempestiuus, euadat, rationis pariter argumentis demon-

turbandam, corrumpendam, atque prorſus euertendam, quanto leuior eſt labor, promtuarii cuiusdam pauperioris, prodigalius adminiſtrati, breui tempore conſumere apparatum, nulla arte facile reſtituendum. Cum enim ſubtiliſſimam intra vaſa teſtium elaborari liquoris genitalis, eandemque parcam ſatis portionem, haud ignotum ſit, eiusdem quoque diſperſioni obtinendae, non multis quidem opus eſſe conflictibus, numeroſioribusque aggreſſionibus, ex iam adducta nonſolum apparet cauſa, ſed et inſuper faciei pallor, oculorum languor, atque infirmata et ad incitas redacta, teſtantur iſtorum heroum corpora, qui,

igne furtiuo populante venas i),

ante diem ſenes euaſerunt, omni quippe corporis robore et vigore, vna cum ſpirituum, nimium profuſorum ſupellectile, exhauſto, quibus, cum organa, nobiliorum fluidorum elaborationem celebratura, obſequium renuant, ob cachexiam tandem et maciem contractam,

in aëra ſuccus
corporis omnis abit, vox tantum atque oſſa ſuperſunt k).

At enim vero, ſunt quoque, quibus moderatius quidem thori exercetur officium, quique dulcium amplexuum, parciore et tenaciore vſu, quantum ſuis et imperare deſideriis, et ſanitati conſulere valeant, edocere tentant, aut qui vano quodam magis timore, vel moroſitate capti, quam rerum domeſticarum ſorte deterriti, amicabili coniugis conſortio, vitae ſolitariae aerumnas emollire, renuunt. Nolim tamen omnem hic quoque ſegnitiem, aut intempeſtiuam abſtinentiam, inter ſanitatis vera ponere praeſidia. Plethoricis potius, ſanguineis, et quibuscunque vberior eſt humorum apparatus, et ſucculen-

Nec intempeſtiue ab ea abſtinendum.

demonſtrauit, ac exemplis comprobauit. B. Illuſtr. DE HEVCHER in Diſſertat. *de morbis ex nimio Veneris vſu*, Praeſide PAVLO GODOFR. SPERLINGIO Viteb. 1700. habita imprimis *Thes. VI VII. VIII.*

i) SENECA Hippolyt. Act. I. 276.

k) OVIDIVS Metamorph. III. 395.

culentior corporis habitus, autor esse velim, vt ne, quem euitare studebant corporis languorem, et prodigaliorem virium consumtionem, hac ipsa incauta sibi contrahant continentia, atque, quam coërcere seuerius conabantur naturam, morae iniquioris impatientem, ad limites vltro tandem saepius transiliendos adigant, aut viarum, adeo miris voluminibus euntium, et angustiorum, peruio itineri, stagnatione pigriore excitata, obicem ponant, molestiarum dolorosiorum vix cariturum euentu. Nec temporis rationem, in huius oblectamenti, mortalibus a sapientissimo creatore indulgentius concessi, administratione, neglexisse decebit. Optimum sequi conueniet consilium CELSI, qui, *neque aestate, neque autumno vtilem* iudicat *venerem, tolerabiliorem tamen per autumnum, per aestatem in totum intermittendam*, pronunciat *l*), quam e contra *hyemali tempore non aeque perniciosam, vernam vero tutissimam* censet *m*). Videbitur propemodum non dissimili propterea de ratione, temporis tam vespertini, quam matutini habendum esse discrimen. Quo minus enim digestionis turbandum est negotium, cui perficiendo, spirituum praecipue sufficiente opus est quantitate, atque viuido ad partes affluxu, tanto certius adeo nobili, totiusque corporis constantiae conseruandae, necessariae functioni, grauissimam poni remoram, indubitato coniicere licebit, cum, quae in alimentis miscendis, subigendis, chyloque inde conficiendo, occupata esse debebant varia organa, iusto suo tono, ob spiritus aliorsum dreriuatos, priuata, non nisi cruditatibus oppleantur, et imperfectiore, chyli minus sufficienter cocti, elaboratione, toti machinae perniciosa esse cogantur. Indeque facili prorsus apparebit tandem negotio, quam male suo, variis iamtum, iisque satis suspectis calamitatibus afflicto consulant corpori, quibus vel neruorum dolor est, vel quorum viscera labe quadam nota-

Imo plane ipsam vitasse praestat.

l) Libr. I. cap. 3. §. *de autumnali diaeta.*

m) Ibidem §. *de varietate temporum.* Creditur tempus vernum conceptioni aptissimum HIPPOCRATI Libr. *de superfoetatione.*

notabili dudum affecta sunt, quiue vertigine, phthisi, calculo, idque genus chronicis potissimum malis, summeque periculosis, vexantur. Ignem hic profecto igni addidisse, humores iamtum aut rapidius fluentes, aut intra viscera vasaque pertinacius stagnantes, magis concitasse, turbasse, incendisse, non nisi vesani est, mortis, lento gradu demum venturae accessum, quantocius inuitaturi. Hisce potius voluptatibus, a quarum excessu, quantum integris quoque cauendum sit corporibus, supra dictum fuit, vitae miserioris aerumnas mollire caue, quicunque diutius, medias inter infirmitates cupis esse superstes, alia quaere, conditioni tuae magis proficua futura oblectamenta, progeniem, te vitiosiorem, posteris dare seculis ne meditare, atque adeo dulci quidem viso, satis tamen funesto tibi mox futuro,

subtrahe colla iugo.

Taceo iam senes et decrepitos, iuuencularum praecipue amplexus stulto appetentes desiderio *n*), atque impari nimium Marte, cum facies iamtum computat annos, ad bella isthaec dulcia, iunioribus tantum gerenda, accedentes. Quamuis enim ex puellarum anhelitu, de quo diuino pariter, ac per multa secula incognito et inaudito prorsus remedio, elegantissime dixit ingeniosissimus COHAVSENIVS *o*), infirmitatis forte senilis praesidium capere tentent, atque aetatis effoetae incommodis,

dum minimus gelido iam in corpore sanguis
febre calet sola p),

succurrere studeant depontani; vix tamen ita sibi temperare posse videbuntur, quin, aspectu quippe solo haud satiati, obiecti

n) Secundum antiquum illud:
Quando senex bellae nubit candidaeque puellae,
Res lepida est visu, multo dignissima risu.

o) In HERMIPPO REDIVIVO s. *de methodo rara, ad CXV. annos, per anhelitum puellarum senectutem prorogandi, exercitatione physicomedica*, Francof. ad Moen. 1742. edita.

p) IVVENALIS Sat. X. 217.

iecti quoque iucundioris, plenum appetant vsum, tantoque certius incauti sui consilii sinistrum experiantur successum, quanto citius, armorum vi deficiente, receptui mox canendum esse, breui intelligunt. Inde fit, quod praeter alia, frontibus ipsorum praeprimis imminentia mala; quandoquidem

esca
fastidita iacet, quae modo dulcis erat q),

corporibus ipsorum, senio iamtum fractis satis atque emaciatis, maturior paretur, atque tranquillitatis omnis, qua senii molliri ceteroquin solent molestiae, expers imbecillitas, quodque supererat virium, sensim exhauriendarum, praeproperis hisce oblectationibus subito detrahatur, calor natiuus parcior, vna cum vita *r*), extinguatur magis quam foueatur, tussis anhela augeatur, sensuum ministerium fatiscat, dolorosi arthriticorum moliminum cruciatus ingrauescant, noctium insomnium inquietudines exacerbentur, atque quotidianis tandem terra sit fatiganda ab vtraque parte precibus,

membra velit gremio fessa fouere suo.

Vindemiae sacra anniversaria. §. XIII. Non semper lubet, nec prodest, Veneris tantum pasci blanditiis, sed Baccho quoque sua debentur sacra, tanto religiosius colenda, quanto liberaliora sunt, quae haud inuida concedere solet manu, mortalibus dulcedinum suarum munera. Haec negligentius excepisse, aut plane spreuisse, dedecet. Colendam et recolendam potius grato pectore, tantae munificentiae memoriam, ipsum, quo dulces vinearum prouentus colligendi sunt, tempus monet, ipsique, succo isto nectareo grauidi racemi, prelis mox fatigandi, ad oblectamenta

q) CORNELIVS GALLVS Eleg. I. 172.

r) Exemplo, praeter alia multa, *Ioannis Manardi*, Medici Itali, qui ab aruspice monitus, vt foueas caueret, ipsi quippe funestas futuras, praesagii istius veritatem prima experiebatur nocte, qua septuagenarius iuvenculae, quam vxorem duxerat, amplexibus delectabatur, medios inter lusus extinctus, qua propter hoc Epigrammate funebri ridebatur:

In fouea cum te periturum dixit aruspex,
Non est mentitus, coniugis illa fuit.

vid. BAYLE in Diction. Artic. *Manard.*

menta haec, non clanculum forte congerenda, taciteque reponenda, sed festiuis ludis celebranda, atque solenni cum plausu, splendidiore pompa, assiduisque manibus carpenda, inuitant. Vnus hisce festiuitatibus, quibus solennia reddenda erant vota, non sufficit dies, plures potius, in tantarum diuitiarum opulentia, dignis laudibus depraedicanda, peragendae sunt luces, imo, ne a veterum plane abhorreatur ritibus, nocturnos quoque non pigebit exsoluisse honores *s*). Varii parantur lusus, laetitiae publicae interpretes, hymnis aëra resonant, dumque iam

nudo sub pede musta fluunt t),

ad prela, purpureo rubentia mero, tanquam ad fontem devenitur salutarem, cuius haustu suauissimo, vereque incomparabili, animos refecisse, viresque nouis voluptatibus reparasse, iuuat. At, quid sibi, finitis hisce vindemiae solennitatibus, volunt alui profluuia, flatulentiae, catarrhi, colicae passiones, capitis turbulentiae, rheumatismi? quarum molestiarum caussas, haud certe e longinquo petendas esse, opinor. Numerosiores musto repleti bibebantur crateres, mellea sua dulcedine ad plus potandum allicientes, atque fermentatione sua, intestinorum tranquilliorem turbabant motum, eademque ad contenta sua impetuosiore conamine, et frequentioribus deiectionibus, non sine debilitatione atque dolore reddenda, adigebant. Esse eam nempe multorum vegetabilium succorum, e fructibus praecipue prouocatorum indolem, musto potissimum solennem, vt facile in fermentationem abeant, du-

 dum

s) Erant olim sacra Bacchi nocturna, vnde et praeter alia, quibus salutabatur, nomina, *Nyctelius* appellabatur, sacraque eius *Nyctelia* dicebantur. Inde est, quod OVIDIVS *de arte amandi* L. I. 569. moneat:

Nycteliumque patrem, nocturnaque sacra precare,
Ne iubeant capiti vina nocere tuo.

De diuersis Bacchi nominibus, quamque nomine et cultu Iudaeis quoque olim innotuerit, eruditissime dixit S. R. IO. CHRISTIAN. HEBENSTREIT in Dissertat. de Βάκχοις, Lipsi. 1713. habita, §. XIX. seq

t) OVIDIVS *de remed. amor.* Libr. I, 190.

dum inter chymicos conſtitit, atque inde haud difficulter quoque aceſcendi facultatem colligi poſſe, priori actioni iunctam, quam et vini productio comprobat, ſponte ſequitur ſua; inde nempe fit, vt partium internarum tunicae, ſenſibilius tactae atque exſtimulatae, motum velociorem ſubire, atque contentis ſuis praecociorem concedere cogantur tranſitum, quod, cum ob ſpiculorum acidorum vim agiliorem, non ſine doloris quoque rodentis ſenſatione fieri perſaepe ſoleat, excretionum cruentarum euentum, non ſine ratione inſuper extimeſcere decebit. Neque omnino flatuum copioſiorum prouentum, et quandoque obſtructiones inde oriundas, aliam ſibi vindicare cauſam, niſi muſti, frigidiſſime imprimis hauſti, minus moderatum vſum, in aprico eſt, teſtante id veteri Scholae Salernitanae effato:

Prouocat vrinam muſtum, cito ſoluit, et inflat.

Quanta enim vi expanſiua muſtum polleat, norunt omnes, qui dolia, dulci hoc liquore repleta, in caueis aſſeruant, atque ob halituoſitatem eius nimiam, indeque oriundam turbulentiam, eorundem rupturam, a fortiore iſta vi conciliatam, non ſine inſigni experiuntur iactura, vnde et non niſi ſummo cum ſuffocationis periculo, ab aëris compreſſi grauitate metuendo, cellas tempore fermentationis ingrediuntur, quibus vaſorum inſpiciendorum commiſſa eſt cura. Ipſum praeterea, quo hiſce deliciis frui, volupe eſt tempus, omni non vacat diſcrimine. Ceſſauit iamtum calidioris tempeſtatis amoenitas, noctiſque longioris frigidiorisque ſuccedunt taedia, vaporoſis, grauioribusque exhalationibus repletus aër, corpora ambit, nebularum et pruinarum, inaequalis nimboſique coeli accedunt iniuriae, quas, tanquam ſemper humanae ſanitati inimiciſſimas, ſtudioſius vitandas volunt medicorum conſilia *u*). Quam aëris

u) De morbis autumnalibus conf. CELSVS de *medicina* Libr. II. cap. 7. HIPPOCRATES Sect. III. Aphor. 9. Inde et, ob inaequalem temperiem, *autumnum maxime morbiferum eſſe*, GALENVS aſſerit *de temperamentis*, Libr. I. cap. 4.

aëris praeterea, minus aequalis atque vaporosi qualitatem, capitis molestiis producendis, confluxionibus serosis excitandis, atque articularibus morbis prouocandis, aptissimam vtique esse, ipsa, quae non infrequenter hoc tempore grassantur mala, non demum blandius allicienda, sed non vocata impetum attentantia, satis quandoque atrocem, affatim testantur.

§. XIV. Sunt quidem, fateor, haud pauca, neque prorsus vulgaria, aut ignota penitus, oblectamentorum variorum genera, in quibus tam propius dispiciendis, quam molestiis exinde prouenturis, exponendis, non omnem forte frustraneum plane fore laborem, iudicari poterat, neque et, nisi nimium mihi blandior, eorundem enarratione, lecturis me molestum, aut taediosum futurum fuisse, augurari velim commentatorem; at, scripti non erant violandi limites, quare reliqua, quae priuatim aut clanculum magis exercentur, tum nec omnibus nota esse volui, ne insciis in malum cedant exemplum, nec propterea diuulgasse, congruum duxi, quod publicis tantum erroribus, publica quoque solummodo conueniat correctio, et, quae occulte committuntur, haud semper a medico, silentii quoque officio adstricto, propalari debeant. Imprudentis enim, aut nimium arrogantis est, quae tecte fiunt, aperte, acriusque censendo, emendare velle, siquidem tacita admonitione, saepe plus, quam publica vitiorum castigatione, proficere posse, aut morum aut sanitatis gubernatores, arbitror. Rem interim haud omnibus ingratam susceptam fore opinor, si proxima, qua licuerit, occasione, illustriorum personarum quaedam producere tentauerim oblectamenta, tanto magis saepe noxia, quanto frequentius eadem, nec temporis, nec loci habita semper ratione, celebrantur, ad quorum disquisitionem, seorsim, atque qua decet in personas, summa dignitatum nobilitate et grauitate praecellentes, modestia et reuerentia instituendam, tanto vehementiore incitor affectu, quo grauius est, quod a tantorum virorum aduersa valetudine, ad subditos, prouincias, ipsorumque familias redundare solet damnum, non nisi a sa- *Conclusio, qua*

 lutis

lutis publicae osore reticendum. Fruere interim his L. B. atque me, licitorum oblectamentorum vsu, te plane interdicere voluisse, ne suspicare, quin potius, me suasore,

non oblectamentis,

dona praesentis cape laetus horae x),


in ipsorum tamen delectu faciendo, talem te gere, qualem te cupio, qualem te futurum spero, prudentem, moderatum, tui saepius memorem. Nil tibi vt nouerceris, volo, sed, vt ad virium et conditionis tuae te metiaris modulum, rogo, quo praecepto non obseruato, vix te constante gauisurum valetudine, euentu certissimo te edoctum fore, verissimo praesagire potero augurio. Omnis in tuam incuriam delabetur culpa, in ipsas, quibus abusus eras, oblectationes, per se haud vnquam noxias, frustra deuoluenda, hac quippe fieri intelliges, quod

sed mortalium negligentiae, morborum fertiliorem prouentum deberi, ostenditur.

non res in vitium, sed male facta, cadant y).

x) HORATVS Libr. III. Od. VIII. 27.

y) CORNEL. GALLVS V. 51.



DIS-

DISSERTATIO VII.

DE

OBLECTAMENTORVM INCOMMODIS,

HABITA D. XXIV. MART. MDCCL.

Mens ignara boni, quae nocitura, petit.

§. I.

Deteriores plerosque mortalium fieri licentia, tanto minus in dubium vocari posse arbitror, quanto pluribus, tristissimisque saepe satis euentibus, antiquissimi huius dicti comprobatam experiri oportuit veritatem. Inde enim a prima statim pueritia, pessimae huius propensionis insita nobis stamina, increscente quoque aetate, vires paulatim capiunt maiores, atque tantum non in earum impetu infringendo, parum assiduos complures cernimus, vt potius, quidquid libuerit, sibi procacius permittendo, tanto se iudicent feliciores, quanto iucundius, licenter potius, quam modeste viuere posse, reputant *a)*. Vnicuique, fateor, *Licentia mortalium probrosa.*

dedit vitium natura creato,

at, instinctui cuiuis prauo obsequendi libertatem, in sui audacius tantummodo vertere perniciem, nec impune licet, nec, nisi ab humanitate omni longe alienum est. Vti enim *male dispensata libertas*, teste SENECA *b)*, *in petulantiam et audaciam erumpit;* ita et probrosam licentiam, atque noxam, admodum familiari iunctam esse vinculo, alteramque alterius indiuiduam, licet minus exoptatam esse comitem, dudum sapientissimorum virorum iusto constitit decreto *c)*. Licentiae atque

a) Ἡδιον τοῖς πολλοῖς, τὸ ζῆν ἀτάκτως, ἢ τὸ σωφρόνως. ARISTOTELES VI. *Polit.* 4.

b) *De Benefic.* Libr. I. cap. 10.

c) Δυσνομίην ἄτη τε συνήθεες ἀλλήλοις. HESIOD. *Theogon.* v. 230.

atque potestatis summae abusu, principum non solum fortunam atque autoritatem, sed et rerum publicarum fulgentissimarum, breui cecidisse, vna cum viribus splendorem, easdemque miserrime tandem fuisse pessumdatas, neminem, antiquiorum praeprimis factorum gnarum, latere posse, arbitror. Atque, si quidem extra instituti vagari limites, animus esset, haud forte arduum fore, praeuiderem negotium, euidentissimis pariter ac funestissimis docendi testimoniis, quam procliui via in exitium sese dederint quamplurimi, pertinaciore licentiae abusu pessime corrupti, monitisque sincerioribus parum obsequiosi. Extra tamen forum medicum mihi quoque non esse excurrendum, ne et mihi intempestiua quadam nimium ipse permisisse videar licentia, intelligo. Neque enim vberrimam hic mihi defuturam opportunitatem censeo, innumera propemodum ponderandi ac deplorandi, hominum, quaeuis sibi indulgentium, damna, sanitati destruendae, vel certe labefactandae, nimium commoda, haud leui ipsorum aut incuria, aut pessimo consilio prouocata. Enumeraui quaedam iamtum, nec, vti quidem arbitror, prorsus vulgaria, in prioribus, *de oblectamentorum intempestiuo vsu noxio*, editis scriptionibus, in quibus, quam parum sibi ab istis malorum illecebris temperare valeat mens mortalium, modum saepius tenere nescia, consilio, lectoribus, nisi iniquioribus, qui sibi solis sapere visi, aliena aspernantur, haud forte plane aduerso, exponere allaboraui. Desisterem a labore incepto, nisi assensu et fauore quorundam, atque ipsius rei grauitate excitatus, me rem haud penitus ingratam nonnullis, quibus et mediocria non displicent, facturum considerem, siquidem scribendi me non destitutum fore materia, facile auguror. Superesse nempe adhuc multa deprehendo, ad hoc argumentum vberius prosequendum commode factura. Quamuis vero

Instituti ratio.

nil prosit, quod non laedere possit idem d),

atque nihil tam manifestae sit vtilitatis, quod non in contrarium,

d) OVIDIVS. *Trist* Libr. II. 266.

rium, vel leuiore etiam transferri queat culpa; ita tamen in oblectamentorum abusu vituperando, ab ipsis oblectamentis, corpori et menti reficiendae, liberrime concessis non solum, sed et maximopere suadendis, auocandos haud quaquam cupio, quicunque licitam ex iisdem capere voluptatem contendunt, ne causam iniustius aut morosius damnare velle videar, per se omni crimine et suspicione vacuam, atque sanitati stabiliendae, dum

concessis gaudet mens moderata bonis,

ex voto opportunam; culpam tamen et excessum, si qualicunque hoc studio, ingenuisque monitis emendare valeam, meae omni ex parte factum fore satis expectationi, laetus profitebor.

§. II. Quemadmodum vero nimio in oblectamenta quaeuis ferri odio, nihilque plane sibi indulgendo, aut Stoicorum more, insoliti nescio quid, morosius affectando, adeo multa, benignioris naturae munera, vltro nobis oblata, culpando despexisse contemtu, hominem dedecet; ita potius, id cuiuis agendum esse, haud difficulter apparet, vt iisdem prudentius in sui vsum conuersis, corporis quoque vigori, ac mentis agilitati inde confirmandae, decenter prospiciatur. Omnem enim si spectes humanae vitae conditionem, eandem, dum nil nisi vicissitudo est, a frequentiore quoque actionum, laborum et iucunditatum varietate, constantiam aliquam, vel certe amoenitatem petere, deprehendes, qua sublata, taedio eandem facile corripi atque debilitari, innumeris testimoniis, haud adeo longinque petendis, quin potius intra nosmet ipsos deprehendendis, compertum est; adeo, vt nihil iucundum olim iamtum recte iudicatum fuerit, nisi quod refecerit varietas. Hanc prudentius sectari, atque cauto appetere desiderio, licet, imo, necessitatis quandoque iure conuenit. In eadem tamen nimium esse, atque vel optimis quibuscunque promiscue abuti, ingrati est, atque tantis beneficiis indigni. Quamuis enim innata nobis, laetitiae magis, quam tristioris vitae videantur desideria; ratio tamen, ad cuius normam,

Oblectamenta haud plane fugienda.

ab abusu tamen cauendum.

recte viuendi discenda erant iura, modum his ponat oportet cupidinibus, ne ceteris sensibus mortuus videatur, qui solis voluptatibus viuere constituit. Cum enim prope modum sit nihil, quod hominum mentibus facilius corrumpendis conducere possit, quam iucundioribus rebus perpetuo fruendi desiderium, atque vix ita difficulter res molestae ac periculi plenae ferantur, quam voluptatum subtractio; tantum tamen abest, vt ex iisdem solatium peti possit diuturnum, vt potius, corporibus inde resolutis, vigoreque sublato, agilitati torpor, robori infirmitas, desiderio taedium succedat, atque senectutis rudimentis, in iuuentute adhuc molestius praeludendi, opportuna suppeditetur libertas *e*). Licet vero non omnes, vtpote prudentius sentientes, istis implicentur voluptatibus, facile tamen, quae est humanae mentis ad vetita pronitas, ipsos saepe nescios, hisce attrahi allicique posse irritamentis, vix quemquam dubitaturum arbitror, adeo, vt vix diu securus posthac ab omni malorum videatur atrocia, qui periculo tanto proximus extitit. Quanto vero maiores eos reputabimus suae felicitati pariter ac sanitati struere insidias, qui aut pessimo instituto decepti, aut prauis exemplis seducti, in eo toti sunt, vt antiquioribus non solum, atque vulgari vsu quasi confirmatis, capiantur oblectamentorum amoenitatibus, sed et nouis, saepe peioribus, excogitandis et frequentius exercendis, assidua insudent opera, iisdemque dum intempestiue atque nimium fruuntur, tristissimas quoque temeritatis suae poenas dare, quam in tempore ab ipsis abstinendo, certioribus sanitatis praesidiis, a moderatioris vitae genere ex voto impetrandis, vti malunt. Inde enim fit, vt, cum oblectamenta sui semper pariant famem, atque nihil homini, suspecta ipsorum dulcedine nimium

e) *Nam, quod ad voluptatem pertinet, licet circumfundatur vndique, per omnes vias influat, animumque blandimentis suis leniat, quis mortalium, cui vllum superest hominis vestigium, per diem noctemque titillari velit, et deserto animo, corporis operam dare? neque enim sanus, cui offutura pro optimis petuntur.* SENECA De vita beata Cap. V. et VI.

mium capto, ſatis ſit, tutiſſimam iisdem medelam opponere, tanto ſit operoſius, quanto minus conſuetudinem, in alteram naturam facile degeneraturam, expellere, vel optima conſilia, non niſi ſurdis auribus data, valent.

§. III. Inde a primo ſtatim, quo lucem conſpicimus tempore, innata nobis, alimenta capiendi prodimus deſideria; atque increſcente aetate, exigente quippe corporis, magis magisque firmandi conditione, victus infantilis ſpreta ſimplicitate, ad variarum cupediarum dulcedines appetendas, aut proprio quodam inſtinctu excitati, aut aliorum exemplis laceſſiti, ferimur, in quibus, vt palato fiat ſatis noſtro, ingenioſe admodum laboramus. Vti vero a victus qualitate, nutritionis quoque, tam laudabilioris, quam deprauatae ſucceſſus, atque ab hac, ſanitatis omnino pendet conſtantia, ita non ſuperuacuam prorſus in eo poſitam fore operam cenſeo, ſi quidem in his oblectamentorum diuerſitatibus, quae tanquam quotidianae, parum recte attendi ſolent, paulo propius diſpiciendis, vberior paulo eſſe conſtituerim. Non equidem, quantum, et quoties ſumenda ſint alimenta, ex inſtituto hic exponere, animus eſt, quamuis et hac in re ſaepius peccari, haud quemquam lateat, atque huic quoque mori aliqua opponenda videatur correctio; qualitates potius ciborum et potulentorum disquiſituro, noxas quasdam inde oriundas, immoderatioribus iſtarum deliciarum amatoribus exponendas eſſe intelligo. Multo ſane cibo corpus frequentius replere, ſatis iamtum moleſtum, vel ſolo teſte HIPPOCRATE, eſt *f*), atque Graecorum hinc quoque mores, non vnum in ſe prouocaſſe ſapientiorum ſcomma, antiquitatum gnaros haud fugit. Mos erat his, quater de die cibum capere, primo, diluculi tempore, quod ἀκρατισμὸν nuncupabant, cui ſuccedebat ἄριστον, quod *Dulcium noxae.*

f) Ἔτι δ᾽ ἂν μᾶλλον, πονήσειεν ὁ τοιοῦτος, ἢ τρὶς σιτεοίτο τῆς ἡμέρης, ἐς κόρον: ἔτι δὲ μᾶλλον εἰ πλεονάκις. *Maiore tamen moleſtia afficietur, qui ter eodem die ad ſatietatem vſque cibum ingeſſerit, at multo magis, ſi crebrius etiam aſſumſerit.* Libr. II. de ratione victus in acutis morbis.

quod excipiebat ἑσπέρισμα, ante quam contenebrasceret, assumendum, tandemque sequebatur δόρπος. Qua de causa quoque Italorum mos PLATONI videbatur improbandus, qui bis in die satiari cupiebant *g*). Alias vt taceam gentes, quae

a magna non degenerare culina h),

inter voluptates ponebant haud infimas, atque strenuis, nostro quoque tempore haud destituuntur imitatoribus. Solam iam mihi sumo varietatem perniciosam. Vti nempe euictum est, adeo diuersae qualitatis corpora, arte ingenioque insuper accedente, in peius saepius mutata, naturae humanae, vtpote simplicitatis amantiori, mira procul dubio molecularum suarum textura, prorsus esse inimica; ita fieri non poterit, quin multi quoque, atque tam contrarii saepe cibi, adde et potus genera, substantiae corporis nostri addenda, quod dudum sapienter iudicauit SENECA, multis oppido morbis prouocandis, commoda sint euasura. Ex his, seorsim enumerandis, dulcia primum tenebunt locum, non quidem ea, quae, vti habet HIPPOCRATES, ἐς δύναμιν, *ad potentiam* dulcia sunt, quo sensu aquam quoque, aliaque corpora insipidiora, dulcia appellari solent, sed quae ἐς γεῦσιν, *ad saporem* dulcia sunt, et quae vel natura, vel arte talia deprehenduntur, ad quae auidius appetenda, dum

iucundo sensu linguae tractantur in ore i),

inde a prima statim infantia, nescio quo singulari, omnes ferri solent mortales desiderio. Inest, fateor, dulcibus, vtpote laeuitate insigni, et ob globulorum, quibus constant, figuram, agilitate maiore pollentibus, opportuna satis, ad nutritionem perficiendam, vel certe iuuandam, facultas. Quanto quippe blandiores in corpore nostro elaborantur humores, tanto felicius ipsum nutriri, intelligimus; cum e contra, salsi, acres, acidi, incremento ipsius constantius obsint, atque depascendis potius emaciandisque partibus, quam iisdem augendis

g) CICERO *Tuscul.* quaest. V. *h*) IVVENALIS *Sat.* XIV. 14.
i) LVCRETIVS *de rer. natura* Libr. II. 399.

dis roborandisque conducant, id quod vel ſolo rhachiticorum exemplo conſtat. At enimuero, hic quoque nimium omne in vitium verti, atque haud leuem ſanitati inferri poſſe iniuriam, facillimo patebit negotio, ſi modo ipſorum dulcium curatius diſquirantur virtutes, quas, ſi quidem iisdem abuti libuerit, peiores induunt. Quanto magis enim eadem parcius aſſumta, in humorum acrimonia aut fluxilitate corrigenda, exoptato non deſtituuntur effectu, tanto facilius nihilo minus, tum extra, tum intra corpus, copioſius aut diutius detenta, acredinem atque amarorem contrahere poſſe, compluribus inſtitutis declaratur experimentis, adeo, vt eadem promiſcue aſſumſiſſe, vix ſine diſcrimine fieri poſſit. Primis vero potiſſimum viis, haec gulae delicatioris blandimenta, moleſta tandem euadere, atque, ſi

Dulcia ſe in bilem vertant, ſtomachoque tumultum
Lenta ferat pituita grauem k),

dumque mora diuturnior ibidem nectenda fuerit, acorem contrahere moleſtiorem, vel exinde patet, quod glycyphagis ructus acidi frequentiores ſint, quos haud raro nauſeae pertinaciores, imo tandem vomitiones comitantur, non niſi a tunica ventriculi interiore, vltra modum a ſtimulis acrioribus vellicata, excitatae. Acrimonia proin continua iamtum, ex praua humorum diſpoſitione vexatos, haud ſemper tuto ad dulcium frequentiorem vſum confugere poſſe, atque imprimis ſcorbuticorum mala grauius inde irritari, ex compluribus medicorum obſeruationibus conſtat, clinica inſuper praxi confirmandis; ſiquidem hac non ſolum de cauſa, ſed et ob fermenteſcendi facultatem, femineo potiſſimum ſexui, ad hyſtericas paſſiones facile procliui, inimiciora ſunt, cuius humores, aut violentius turbati atque irritati, aut dyſcraſiam notabilem hac ratione contracturi, malo huic ſatis pertinaci ac ſaepius recurrenti, ex voto depellendo, haud leuem ponunt remoram, imo potius acerbiſſima eius ſymptomata grauius intendunt. Taceo iucundam, quae vermibus inde paratur, eſcam, nonſolum

k) HORATIVS *Sermon.* Libr. II. Sat. II. 162.

ope dulcium facile producendis, ſed et ſuauiter alliciendis, blandius fouendis, atque non ſine domicilii, quod tenacius occupant, diſpendio, lautius nutriendis, quorum refractariae intra inteſtina manſioni, diriſſimos deberi cruciatus, in iunioribus aeque ac adultioribus haud infrequenter experimur. Vnde, quae in corporis vſum cedere debebant alimenta, palato quidem ſuauiora, minus tamen fini, in quem capiebantur, congrua exiſtere, tanto patet certius, quanto pernicioſiora eadem nonſolum per ſe ſaepius eſſe, ex iam dictis apparet, ſed et, quo damnoſiora, dum nimium aſſumuntur, euadunt. Saccharata nihilo minus, condita, melle parata, idque genus cupediae, inter bellaria potiſſimum appoſitae, auida nonſolum capiuntur manu, ſed et intempeſtiue aſſumta, ventriculo tum traduntur digerenda, cum cibis iamtum copioſioribus vltra modum oppletus, vix iisdem debite concoquendis ſufficit. Interponuntur eadem, quod longe peius eſt, pinguioribus oleoſisque, aſſis praecipue carnibus, a qua peregrina ſatis miſcela, ſi quidem laudabilem ſperare volueris chylum, inſigniter falleris. Cruditates potius acidae, ventris tormina, atque, quod frequenter admodum accidit, ſodae incommoda, ſatis ſuperque teſtantur, quam parum heterogeneas iſtas particulas, viſcera, nutritioni deſtinata, ferre valeant.

Pinguia non omnibus conducunt.

§. IV. At, dum pinguium inieci mentionem, hic paullum ſubſiſtere, atque has quoque delicias propius diſpicere lubet. Videntur equidem haec corpori propemodum noſtro, vel hac de cauſa aptiſſima, quod blandiore ſuo, quo pollent glutine, atque figurarum opportunitate, in eius ſubſtantiam non ſolum felicius cedant, ſed et, quod bene nutriti corporis ſigna, ex pinguedinis vulgo peti ſoleant progeneratione. Tantum tamen abeſt, vt ipſam pinguedinem, quae, vtpote abundans quaſi humor, vel certe nutritioni directe, atque ſolum perficiendae parum aptus, ad ſuos deponitur folliculos, pro materia habeam nutritia, vt potius, vel ea tantum de cauſa, ipſam in alium longe datam exiſtimem finem

nem, quod nempe ſeorſim ſecreta, extra circulum conſtituta, quieſcat, atque reliquorum humorum ſecretoriorum ad inſtar, a flumine ſanguineo ſegregata, promtuarii forte quandoque fungatur vice, ex quo, ſi quidem opus fuerit, moleculārum adipoſarum reſorpta portio, ad humores delata, nutritionem aliquatenus facilitare, aut in morboſis ſubiectis, in eius vicem aliquamdiu ſuccedere, neutiquam tamen plenarie perficere poſſit. Pinguiores nempe atque oleoſas, quae chylo inſunt, particulas, ab ipſa pinguedine longe diſtinctas eſſe, vſus ipſarum manifeſtis declarat indiciis. Vnde tanto minus ab iſtorum diſcedendum eſſe ſententia, arbitror, qui ſuperflui humoris indolem ipſi largiendam eſſe, non ſine ratione contendunt *l*). Satis videlicet inſignem eiusdem tunc elaborari deprehendimus copiam, cum teneriori corpori, in maiorem molem extendendo, eiusdem apparatus, intra ſanguinem reliquosque humores detinendus, ſumme videri poterat neceſſarius; quod, cum ſecus accidat, atque in recens natis, iunioribusque, pro corpusculi quidem modo, larga ſatis pinguedinis compareat ſupellex, neque tamen ipſorum incremento quidquam decedat, eiusdem vtique primarium vſum in corpore augendo quaeſiuiſſe, fruſtraneum videbitur *m*). Confirmant hoc vlterius adultiorum corpora, non quidem per ἄυξησιν, ſed per τροφὴν tantum nutrienda, attamen partium nihilo minus firmitatem, continuo conſeruandam, poſtulantia, cui nihilo ſecius ex pinguedine, vtpote et in his copioſe ſatis elaborata, haud vllam parari acceſſionem, euidenter intelligimus; quinimo, haud ſemper ex voto valere cognoſcemus, quorum corpora larga fuerint pinguedine obducta, quos quippe prae macilentioribus, morborum nonſolum complurium, expoſitos periculis, ſed et iisdem ſuſtinendis, ob fibrarum laxiorem habitum, indeque pendentem toni infirmitatem

l) Videatur hac de re FRIDERICI HOFMANNI Diſſertatio, *de pinguedine, ceu ſucco nutritio ſuperfluo*, Halae 1718. habita.

m) Conferatur Experientiſſimi Collegae IO. CHRISTOPH. POHLII ſub Illuſtr. B. WALTHERI Praeſidio, *de obeſis et voracibus*, Lipſ. 1734. habita Diſſertatio, praeprimis §. VIII.

tatem minus sufficienter pares animaduertimus; adeo, vt haud intellectu sit difficile, ipsius praesentiam in alium prorsus cedere finem, atque pinguioribus quidem particulis, omnem, nutritioni succurrendi, haud denegandam esse facultatem, ipsarum tamen insignem adeo, atque hinc superfluam portionem, non sine sapiente naturae consilio, a massa sanguinea segregatam, ad commodas membranae adiposae cauernulas depositam, satis superque testari, quam parum, ad nutritionem materialiter ac principaliter absoluendam, facere possint. Vt nihil iam de iis moneam, quibus sors deterior, lautioris mensae denegauit delicias, quique mucido pane atque aqua famem solantur, quorum nihilo minus corpora, non robusta solum, verum et constantiore valetudine gaudentia, absque pinguiorum perpetuo vsu, laetius nutriuntur, durissimosque labores absque vllo incommodo ferunt. At, sit ita, pinguibus quoque non omnem, quod nec ego in totum negare velim, nutritioni quodam modo succurrendi, deesse facultatem, longe tamen aliam istorum pinguium esse indolem, vel me non monente, quilibet perspiciet, quae in deliciis haberi magis, quam pro salutari scopo obtinendo, adhiberi solent, quorum moderato quidem vsui plane detrahere, ne nimis videar durus, animus impraesentiarum haud est, licet forte quaedam perpetuo digna deprehendi possint exilio. Inter varia autem, quae in voluptuarium trahuntur vsum pinguia, adipem, aut butyrum liquefactum, atque calidissime assumtum, omnium fere dixerim pessimum. At, quam multa sunt ciborum, assorum, elixorum, frixorum, iusculorum genera, quae, nisi larga fluant pinguedine, sapida minus, minusque ad coquinariae artis regulas, seculique morem videntur parata. Addo oleosa, his parum absimilia, aut simpliciter sumta, aut acidis mixta, non nisi a prioribus in eo diuersa, quod frigidius quidem assumantur, pari tamen ceteroquin ratione damnosa euadant. Est nempe pinguibus atque oleosis solenne, vt rancorem facile contrahant, atque diuturniore, intra primas praecipue vias commoratione, ipsis nonso-

lum

lum copia ſua, in dies aucta, onerosa euadant, id quod e ventriculi doloribus, inde facile oriundis, haud obſcure colligi poterit, ſed et cruditatibus copioſioribus viam parent aptiſſimam, dum liquoris gaſtrici potiſſimum acorem deſtruendo, ſtimulum eius, cui appetitus excitationem debemus, obtundunt, infringunt, inſuperque eius in ingeſta efficaciam, pari de cauſa intercipiunt, atque vel minus laudabilis chyli elaborationem efficiunt, vel, quod et dulcia aliquatenus praeſtare poſſe, ſupra monui, nauſeis et egeſtionibus inuoluntariis fores pandunt. Nimium quippe frequenter interioribus inteſtinorum tunicis lubricatis, atque ſufficiente fibrarum tono deſtitutis, fieri non poteſt, quin eadem citius, quam per digeſtionis et egeſtionis leges, quas natura ſanciuit, accidere debebat, contentis ſuis egreſſum concedere cogantur frequentiorem. Contrariam, alia pinguia atque oleoſa, pro ſubiectorum pariter, ac indolis ſuae diuerſitate, exercent noxam. Quae enim farinaceae potiſſimum ſuae ſubſtantiae admixtas gerunt oleoſas moleculas, qualia ſunt *Pineae*, *Piſtaceaeque* fructus, *Amygdalae*, *Euboicae nuces* ſiue *Caſtaneae*, *Iuglandes*, *Auellanae*, atque id genus deliciae, menſis ſecundis vtplurimum appoſitae, flatulentiis nonſolum excitandis perquam ſunt aptae, ſed et obſtruendis plane viis, egeſtioni dicatis, commodiſſimae. Praeſtant hoc, calida non tantum ſua qualitate, ſed et terreſtrium particularum ope, adeo, vt iisdem copioſius quidem aſſumtis, concoctu quippe difficilioribus, ob acorem, ab oleo corrupto productum, ventriculi ardorem atque raucedinem, ob ſulphureas moleculas crudiores, capitis dolores, ob digeſtionem difficiliorem, moleſtas ventriculi preſſiones, atque ob farinam copioſiorem compactamque, flatulentias, aluique obſtipationes, mercedis loco ferant, quibus his, puerili magis luſui, quam eſui immoderatiori conceſſis oblectamentis,

gulam ſemper mulcere voracem,

volupe eſt. Qua pari de cauſa, carnium pinguiorum nimis vſum, haud omnino intentioni eorum facere poſſe ſatis, per

ſe patet, qui laudabiliorum humorum inde ſibi pollicentur proventum. Vnde et eſt, quod in aegrorum praeprimis, atque conualeſcentium quoque diaeta, caute adminiſtranda, eo potiſſimum reſpiciendum eſſe, medentes recte imperent, ne pinguia nimis iuſcula, aut alia quaecunque ſimilia alimenta, exhibeantur, cum e contra, quae tenui mucagine pollent, inter eupepta quippe ponenda, non ſine exoptati ſucceſſus ſpe aſſumantur, atque lautiſſimis dapibus, minus frugaliter aut tempeſtiue adhibitis, merito anteferenda ſint *n*).

Acida non promiſcue aſſumenda.

§. V. Ad acida nunc tranſeundum eſt, quae, quo inimiciora corporis noſtri ſunt oeconomiae, tanto maiore nihilo minus cum deſiderio ſaepius appetuntur. Horum in numero nonſolum actu acida ponenda eſſe, ſed et, quae, ſuauiore licet prius ſapore praedita, aceſcendi tamen poſtmodum facultate pollent, multis vt praemoneam, haud opus eſſe reor. Vix autem commode ſatis digeri poſſe, aut minus certe ad palatum eſſe videntur quamplurimi cibi, niſi aut acido addito probe conditi, aut interpoſitis acetariis comeſti, quo viuendi genere, an ſapientiam opportunius comparari poſſe exiſtiment oxyphagi, atque vt acetum, ex antiquo verbo, in pectore habeant, acida copioſius ingerere geſtiant, aut, an animi confirmandi, erigendique cauſa, huic cupidini pertinacius inſiſtant, dum acida exhilarare vulgo dicuntur, haud forte incaſſum augurari liceret, niſi eam eſſe mortalium, conſtaret indolem, vt guſtus elementis per omnia, citra rationem etiam quaeſitis, iis quam ſaepiſſime oblectari ſoleant, a quorum ſi non vſu, abuſu certe ceteroquin abhorrendum erat. Varia ſunt acetorum, tam nati-

n) Breuibus haec omnia complectitur HIPPOCRATES Libr. ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ. Τὰ λιπαρὰ, inquiens, καὶ τὰ πίονα, καὶ τὰ τυρώδεα, καὶ τὰ σησαμέεντα, ὀξυρευγμίην ὡς μάλιστα παρέχη, καὶ χολέρην, καὶ στρόφον, καὶ φῦσαν, καὶ πλησμονήν. Pinguia, caſeoſa, mellita, et ex ſeſamo parata, ructum acidum maxime faciunt, et bilis fluxum ſuperne ac inferne, et tormen, et flatum, et repletionem.

natiuorum *o*), quam factitiorum genera, in vsum non vnum, medicis ac chymicis cedentia, ex quibus posterioribus, quod e vino producitur, optimum fere esse videtur. Pollent autem, quod neminem fugit, acida omnia, salinis, acie tenuiore atque penetrante praeditis particulis, sensu haud obscure percipiendis, neque hinc omni, si quidem tempestiue atque cum iudicio adhibeantur, carebunt emolumento. Praeterquam enim, quod in medicum vsum trahi soleant varia aceta, alexipharmaca potissimum virtute celebrata, morbis contagiosis, opii nimio vsui, crapulae, animi defectionibus, etc. non sine euphoria opponenda; coquinariae quoque rei eadem inseruire, haud quemquam fugit, piscesque, carnes, olera, embammata, aceto parata, pro ventriculo praeprimis roborando, apponi solere, inque maximis haberi deliciis, ditiorum pariter epulae, ac tenues pauperiorum edocent mensae, in eo saltem diuersae, quod, quae in posteriorum commodum, labore et motione quippe accedente, cedere poterant simpliciora alimenta, prioribus, otio magis et quieti indulgentibus, copia insuper sua, perniciosa reddantur. Parciore videlicet nisi assumantur quantitate, aut quodammodo attemperentur, eadem humoribus cito satis corrumpendis euadere aptissima, tam innumeris exemplis, cachexiae inde contractae, constat, quam et constantioribus declarari poterit argumentis. Quo quippe efficacius in corporis nostri partes, quaedam agere valent corpora, tanto et maiorem et celeriorem eadem producere poterunt mutationem. Talia esse acida, quae spiculorum suorum ope, intimius intra solida et fluida penetrant, ex chymicorum patet scholis. Dissoluendis solidissimis conducunt partibus; fluidioribus vero in angustius spatium cogendis, siue coagulandis, apta sunt, cuius asserti documenta, ex acidorum vsu, in hu-

 morum

o) Ex his potissimum Citri, Aurantii, Limonum succus, reliquis videtur praeferendus. Confer. IO. PHILIPP. BVRGGRAFII, *de malo sinensi aureo*, Lugd. Batav. 1694. edita Differt. item H. GRVBE *de malo citreo*.

morum resolutione corrigenda perquam salutari, peti possunt. Praeprimis vero, si ad corporis humani propius accedamus conditionem, atque humorum ibidem contentorum disquiramus naturam, acidarum certe praedominantium molecularum violentiam, innumeris manifestari modis, deprehendemus, quam, data fouisse opera, periculosum est. Quamuis enim acidorum vsu, appetitus excitari posse credatur, atque in anorexia, acidulata non sine omni adhiberi soleant emolumento, ab isto tamen eorundem vsu, quem morbi quandoque necessitas, atque medentis consilium exigit, ad perpetuum, eadem quotidie, atque sine discrimine assumendi desiderium, vix tuto argumentationem fieri posse, certum est. Fieri nempe non poterit, quin tandem, a nimium ingestis acidis erosae ventriculi tunicae, aut vix compescendam ciborum producant aliquamdiu appetentiam, bulimum appellatam, aut sensu tandem prorsus priuatae suo, omne in cibis assumendis digerendisque obsequium renuant. Nec sua, intestinorum tubo deerunt fata, cuius interiores parietes, indesinenter a stimulis acrioribus lacessiti, exesique, diarrhoearum, imo cruentarum denique deiectionum exponuntur molestiis. Ex primis vero viis, ad secundas porro, transitu infeliciore facto, postquam condensati nimium fuerint humores, atque peregrinis spiculis impraegnati, arthritici dolores, tam fixi quam vagi, scorbuticae affectiones, aliaque his parum absimilia mala, haud obscuris declarant indiciis, quam parum commode, corporis nostri humores acida ferre possint, qui, quo blandioribus mixti sunt particulis, tanto quoque opportuniores, sanitatis constantiae, corporisque vigori conseruando redduntur *p*). Quae vero de actu acidis valent, pari ratione ad ea applicanda sunt, quae acescendi sua facultate,

p) HIPPOCRATES Libr. II. *de diaeta*, ita de acidis habet: Τὰ δὲ ὀξέα, καὶ δριμέα, καὶ αὐστηρὰ, καὶ στρυφνὰ, καὶ συγκομιστὰ, καὶ ξηρὰ, οὐ πληροῖ. *Acida, acria, austera et acerba, et ex toto collata et sicca, non replent.* Et in Libr. *de homind.* Ἔτι δὲ τὰ ὀξέα καὶ φλεγματώδεα. *Insuper autem et acida pituitosa sunt.*

facultate, his proxime accedunt, quorsum fructus, horaeos dictos, atque succulentiores, potissimum referendos esse, perquam facile iudicare licet. Ad horum dulcedines, intemperato appetitu, plenis manipulis, atque maturius degustandas, plerosque, fere dixerim omnes mortalium ferri, hancque cupidinem iure forsitan haereditario, a primis parentibus ad posteros, infausto transiisse traduce, nescio an haud temere suspicer? Nullum quippe, post tot fercula copiosius ingesta, variaque potulenta interposita, palato gratius suscipi posse videtur negotium, quamfructibus *cerasorum, cucumerum, ribesii, grossulariae, fragorum, pomorum, pyrorum, persicorum, mespilorum, vuarum, prunorum*, etc. non fame, sed vino ardentis stomachi fecisse satis desideriis, atque epulas, satis iamtum protractas, ne confabulationibus forte diuturnioribus, aut compotationibus desit opportunitas, aliquantulum adhuc produxisse. At enimuero, quo successu? iudicent ipsi, deliciarum istarum amatores, quibus, si quidem attentis paullum esse lubuerit, flatulentiae, cruditatum, fluxuum aluinorum, aut, pro subiectorum assumtorumque diuersitate, obstipationum quoque causam, haud e longinquo demum petendam, sed ante oculos in mensis versari, arbitror. Fermentescunt facile, isti fruticum arborumque illecebrosi prouentus, atque hinc cito quoque acorem contrahunt insignem, vtroque vero modo, pronam iam dictis incommodis sternunt viam, tantoque hoc praestant citius, quanto frequentius, vti quidem mos est, vix satis maturi comeduntur. Prolixiori, in conquirendis argumentis grauioribus, rei veritatem corroboraturis, haud esse lubet, experientia quippe quotidiana pariter, ac antiquorum suffragio satis confirmatis. Quae enim de pyris ac mespilis Schola Salernitana speciatim habet:

Dum coquis, antidotum pyra sunt, sed cruda, venenum.
Cruda grauant stomachum, releuant sed cocta grauatum.

\- - - - - - - - -

Multiplicant mictum, ventrem dant mespila *strictum,*

ſi quidem in genere, ad omnium, ſucculentiorum praeprimis fructuum applicentur indolem, de minus prudente eorum teſtantur conſilio, qui iſtas, vitae humanae conceſſas oblectationes, auidius carpentes, atque intempeſtiue aſſumentes, in ſua graſſari viſcera, iucundum ducunt. Semper enim huius quoque

meta voluptatis perniciosa, dolor.

Fumo indurata, ventriculo moleſta.

§. VI. Parum diſtant quoad effectum noxium, fumo indurata, quae ſub finem ſaepiſſimo prandii aut coenae, diutius atque lautius iamtum transactae, eo haud certe opponuntur animo, vt ciborum copioſius ingeſtorum multitudini concoquendae ſuccurratur, aut de rebus ſeriis grauioribusque diſſerendi atque conſultandi, vberior hac mora ſuppeditetur copia, quem morem Graecis et Perſis, finito fere prandio fuiſſe, XENOPHON et PLVTARCHVS referunt; quin potius, vt nouus inde, moleſtiorque, ventriculo vltra modum dudum oppleto, excitetur labor, operoſiusque iniungatur negotium, varia pariter ac dyſpepta, multoque numero ipſi tradita, geminatis quaſi viribus digerendi, aut, vt potandi auiditate, ſalitis hiſce deliciis denuo acuata, quod ſupererat temporis, antequam ad alia deueniatur prolubia, aliquibus adhuc, more palatino, ne gutta ſuperſit, euacuandis ſcyphis, cum voluptate impendi poſſit. Siue vero coctas, ſiue crudas, fumo induratas carnes, piſces, atque id genus delicias, menſis conſpexeris appoſitas, haud vulgare, ſtomachis aſſidentium imminere incommodum, certo, licet parum fauſto auguraberis omine. Duplici vero potiſſimum, haec palati irritamenta laborant ſuſpicione. Praeterquam enim, quod pinguedine gaudeant copioſiore, de cuius noxis ſupra iamtum dictum fuit, ipſorum potiſſimum habitum duriorem luſtraſſe ſufficiet. Fibrae videlicet carneae, fumo, additoque ſale conſtrictae, condenſatae, extenuatae, exſucca ſua tenacitate, non poterunt non, vel a robuſtiore quoque ſtomacho, aegrius concoqui, cum ob duritiem ſuam, diutius nonſolum intra primas vias, easdem grauando, haereant, ſed et ſemidigeſtae, laudabiliorem chylum, ob reſiduas inſuper cruditates, vix vnquam

quam ſubminiſtrent, cuius quippe perfectiori elaborationi, quod alterum eſt, ſalinae particulae quam maxime obſunt, atque preſſionibus, nauſeisque potiſſimum producendis, non ſine ſummo nutritionis impedimento, aptiſſimae euadunt. Vnde fieri perquam facile poterit, vt cacochymia ſalſa excitata, atque vniuerſo corporis habitu tandem deprauato, a ſcorbuticis quoque affectionibus parum ſecuri ſint, qui petaſonum, farciminum, anſerum, ſalmonum, halecum, ſimiliumque oblectamentorum fumis, crebrius paſci cupiunt. Atque, ſi quidem dictis maius robur addere, neceſſum foret, ad nauticae vitae prouocarem incommoda. Norunt quippe omnes, quam facillime iis, qui ad tranſtra ſedent, imo et ipſis gubernatoribus, atque itineris comitibus, neceſſitate quandoque coactis, ex fumo induratorum ciborum quotidiano eſu, humores, tandemque ſolidae quoque corrumpantur partes, quamque diris atque funeſtis ſaepe ſuccumbere ſoleant fatis, quibus omnis, recentium carnium piſciumque denegatus eſt vſus. At, quod et his ſolenne eſt, in vinoſo aut ſpirituoſo forte potu, malorum inde metuendorum, praeſentiſſimum quaerendum eſſe remedium, obiici audio. Vereor tamen, ne ſpe ſua cadant, atque conſilii poeniteat, quicunque fortioribus potulentis, duritiem tantam ſubigere, aut acrimoniam iſtam temperare annituntur. Acredinem potius ſentient vna cum cruditatibus auctam, atque impetuoſiore excitata humorum commotione, malum ad partes citatiore delatum intelligent curſu, quod aquoſorum forte, blandiorumque potulentorum ope, aut motione quoque moderatiore interpoſita, auerti certe poterat, aut emolliri. Licet enim inter optima, maximeque neceſſaria condimenta, ſal primum merito ſibi vindicet locum, atque ſalium quoque moderata temperie, humores corporis humani non prorſus carere velle videantur, eorundem nihilo minus abundante nimium copia corpus obruiſſe, atque a peregrinorum ſalium moleculis, exoptatum, in ſanitate ſtabilienda ſperaſſe effectum,

eodem,

eodem, quo e veneno ſalus impetrari, aut e paleis fructus colligi poterant, euenturum ſucceſſu, credo.

Lactis abuſus damnoſus.

§. VII. Lactis et lacticiniorum denique deguſtandae ſunt dulcedines, non, quod omnia, quae palato grata videntur, expoſita nunc arbitrer oblectamenta, ſed, quod potiora ſaltem delibaſſe, ſatis eſſe putem. Optimum ſine dubio videbitur a lacte impetrari aliquamdiu poſſe nutrimentum. Haud quippe ſine ratione, materno lacte alendos voluit, natura prouida infantulos, dum dulcis huius pabuli prouentui copioſiori in puerperis proſpexit. Blandioribus videlicet ſuis, atque mucaginoſo-ſeroſis particulis, quod et euentus teſtatur, corpuſculorum teneriorum incremento optime conducit, atque adultioribus inſuper, lactis diuerſa genera, tam per ſe, quam vario quoque modo parata, in vſum cedere non vnum, artem facientes haud fugit. Iſthoc nihilo minus beneficio impune abuti, nequaquam liberum eſt. Quibus enim laxior eſt habitus, aut acrimonia abundans, pituita copioſior, haud tuto ſemper lactis commendari poſſe vſum, vel exinde diuinare conueniet, quod coagulationis, intra ventriculum, a caſeoſa parte excitatae moleſtias, aut fibrarum nimiam remiſſionem, indeque ſubſecuturam atoniam, ſeroſae portioni abſcribendam, haud euitare facile poſſint, qui lactis vſui, vel parciori, nedum minus moderato indulgent. Inde nempe et eſt, quod nec perpetuum lactis vſum, humano corpori concedendum voluerit natura, quin potius dentium in tenellis tempeſtiua admodum proruptione, de ſolidioribus nunc cogitandum eſſe alimentis, moneat. Quinimo fungoſa, ſucculentiora, vltra modum obeſa, parum tamen robuſta validaque, gentium, quae ſolo aluntur lacte, vel certe aliis rarius fruuntur cibis, corpora, ſatis ſuperque teſtantur, quam nimium egregie de lacte ſentiant, qui, quod ab aliis alimentis certius ſperari poterat emolumentum, a ſolo lacte obtineri poſſe, vano ſibi perſuadent praeiudicio. At, nihilo ſecius a lacte lacticiniiſque adeo pauci abſtinent, vt potius, quod aeſtiuo praeprimis fieri tempore ſolet, aut lactis,

bubuli

bubuli potiſſimum, omnium craſſiſſimi atque grauiſſimi, florem, menſuratim hauriant, aut, cum varietas delectet, oxygalam in deliciis habeant, quocunque tempore, matutino tamen praecipue aſſumendam. Incaſſum hiſce potoribus et potricibus, ad medicorum confugitur, quas de lacte habent, commendationes. Quaecunque enim HIPPOCRATES *q)*, GALENVS *r)*, AVICENNA *s)*, CELSVS *t)*, aliique, in morborum praeſertim nonnullorum curatione inſtituenda, de lacte tradunt, tanto minus excuſationi huius moris locum parabunt tutum, quanto certius ex iisdem conſtat, inſignes quoque, ab eius minus prudente vſu, metuendas eſſe noxas *u)* neque illi vniuerſales ita tribui poſſe virtutes, quas non pro ſexus, temporis, et conſtitutionis diuerſitate, in deterius vertere poſſit. Quis haec, quae ſeorſim, atque breuibus, de paucioribus ſaltem, gulae praeprimis oblectamentis enarraui, equo perpendens animo, vanam non merito rideat eorum cupidinem, qui naturae, paucioribus atque ſimplicioribus contentae, obſequium pertinacius renuentes, ſuisque tantum libidinibus ducti, adeo abſonam pariter ac infauſtam intra corpus miſcelam coaceruantes, impetuoſiori tandem morborum agmini ſuccumbere, quam iſtis palati blandimentis carere, aut moderatius vti malunt. Horum ſi numerare volueris morbos, infauſtasque morborum ſcire cupias cauſas, coquos numera, atque ciborum contrarias

q) Libr. de alimento. *Lac nutrimentum, quibus videlicet ſecundum naturam alimentum eſt, aliis vero non.*

r) De alimentor. facult. Libr. III. Cap. 15. et de oxygala ſequ. Cap. 16. item *de ſanitate tuenda* Libr. V.

s) Libr. II. Tract. 2. Cap. 442.

t) Libr. IV. Cap. 24.

u) CELSVS Libr. III. Cap. 22. *Lac quoque in capitis doloribus, et in acutis febribus, et per eas facta nimia ſiti, ac ſiue praecordia tument, ſiue bilioſa vrina eſt, ſiue ſanguis fluxit, pro veneno eſt.* Conueniunt cum hoc, quae HIPPOCRATES Sect. V. Aphor. 65. habet. *Lac dare caput dolentibus, malum, etiam febricitantibus et ſiticuloſis.* Parum fauet omni lacti AVICENNA Libr. III. Fen. 13. Tract. 2. Cap. 36. Conf. MICH. ALBERTI *De lactis cauto vſu medico*, Halae 1733 habita Diſſertatio.

contrarias et peregrinas prorſus varietates, neque de ipſis eadem ſentire dubitabis, quae lepide ſatis narrat CHRISTIAN. GODOFR. STENTZELIVS *x*), oculatus facti teſtis, qui vna cum medico quodam, ad aegrotum iter faciens, atque ſplendido prandio exceptus, feminam quandam menſae aſſidentem, atque de frequentioribus ventriculi doloribus conquerentem audiuit, ſtomacho nihilo ſecius ſuo nullo modo nouercantem, ſed acida dulcibus, elixa aſſis miſcentem, nihilque ex duodecim, quae appoſitae fuerint dapibus, praetermittentem, in quarum ſingulis curioſius deguſtandis, ſtrenue fuerit occupata. Quo immoderato, cuncta tuburcinandi deſiderio intellecto, medicus e ſingulis cibis aliquid in patinam, ſeorſim ſumtam, immiſerit, aſſiduaque verſarit manu, non ſine feminae iſtius riſu, quae inſolito hoc labore conſpecto, *proh Domine!* dixerit, *nouam et miram prorſus miſcelam*; cui medicus, *an putas*, regeſſerit, *aliter in tuo rem ſe habere ventriculo? en ventriculi tui debilitati, de quo adeo miſere conqueſta es, cauſam*, Viuam mehercule, voluptatis imaginem! quae operam valetudini dandam, doloſe monet, vt corpori laſciuiendi praebeat occaſionem, tandemque perturbatione atque dolore non exiguo repleat, corpus corrumpat, faſtidium inducat, adeo, vt vix tantum ab hoſtibus armatis, atque pleno impetu aggreſſum tentantibus, quam ab infeſto hoc, ſanitatis humanae aduerſario, lento gradu, atque fraudulentis blanditiis incedente, metuendum ſit. Hac quippe ratione

tandem inamareſcunt epulae, ſine fine petitae y).

Potus Cofetanus praeprimis, a paſtu ſtatim vitandus.

§. VIII. Surgendum tamen nunc eſt, atque ad alia deueniendum oblectamenta, ordinis fere iure, breuibus adhuc commemoranda. Videtur quippe ipſa ciborum congeries, aliquod poſcere leuamen, quo ventri pleno, atque vltra ſatietatem grauato, tantiſper ſuccurri, et digeſtio promoueri poſſit,

x) In Programmate, *de palati blandimentis*, Viteb. 1739. edito.
y) HORATIVS Libr. II. Sat. VII. 207.

poſſit, quod, quam diuerſis fiat modis, penes omnes conſtat. Peſſimum omnium eſſe morem, qui a prandio vel coena ſtatim ſomno indulgent, inque multam diem ſtertendo, capitis dolores, ſenſuum perturbationes, totiusque corporis torporem quantocius inuitant, multis vt adſtruam argumentis, experientia pro me ſtante, opus haud eſſe, intelligo. Neque multo peiorem iam diſquirere animus eſt conſuetudinem eorum, qui finitis licet epulis, compotationibus nihilo minus adhuc vacant aſſiduis, atque inter deambulandum,

quamuis iam titubent, et ſint ſpectacula vulgi,

magnos deſorbere calices, iucundum ducunt, Parthis, qui bibendo gloriam aucupabantur, quoque plus bibebant, tanto plus ſitiebant, ex aſſe ſimillimi. Rectius agere autumant, qui aquoſo potu, vini calorem temperare, atque vires aliis oblectamentis, mox ſuſcipiendis, reparare intendunt. Pleno proin agmine, atque citato curſu, ad abaculos Cofetanos, iamdudum paratiſſimos, confugitur, quorum dulcedines, tenera aſſidentis plerumque amicae manu, placidoque vultu oblatas, deſpexiſſe dedecet, quin potius omne, quod a ciborum copia metuendum erat incommodum, adeo blando, officioſae diſpenſatricis medicamine, depelli ex voto poſſe creditur. Commune hoc eſt, inde a longo tempore, atque diuturniore vſu, non tam confirmatum, quam receptum ſaltem remedium, citiusque Herculi clauam extorſeris, quam vt, damnis licet innumeris, abuſum huius decocti comitaturis, enarratis, ipſi modum poſitum fore, ſperare poſſis. Haud equidem fuſcas has, a quibus nec ego penitus abhorreo, delicias, mortalibus me prorſus inuidere velle, ingenue profiteor, cum non omni, potum Cofetanum deſtitui commodo, vel me tacente, nemini non compertum ſit, indeque nonnullorum medicorum plus quam Vatinianum, quo in eundem feruntur odium, moroſitatem magis, quam verum, ſanitati aliorum proſpiciendi deſiderium referat; nullo tamen conuinci quemquam poſſe,

 opinor

opinor modo, tam eximiis ipſum pollere virtutibus, quales ab amatoribus eius, neſcio qua ſiniſtra perſuaſione captis, aut expectantur, aut ſuſpecto ſatis praeconio celebrantur z). Vtrum vero hunc potum matutino, an pomeridiano tempore aſſumſiſſe praeſtet, tanto minus conſtanter decernere audeo, quanto certius eſt, aetatis, ſubiectorum, atque circumſtantiarum praecipue, reſpiciendam eſſe conditionem; in eo nihilo ſecius complurium me conſecuturum medicorum ſuffragia, experientia pariter ac ratione confirmata, auguror, parum apposite eundem proxime a paſtu deſorberi. Fallor, an ipſa, quae contrarium imperat, ventriculi conditio, quod recte ſentiam, edocet. Oppletae enim iamtum variorum ciborum mole, digeſtionis officinae, operoſius, quam quidem ſuſtinere valebat, nunc ſuſcipiendum eſt negotium. Cibi ſubigendi, miſcendi, ad inteſtina, vt chylum deponant, demittendi ſunt, indeque fibrarum ſufficiens robur, motumque nec nimium auctum, nec tamen ſegniorem poſcunt. Hunc, ſi vinoſo potu concitaueris, praecipitabis, ſin aquoſo repreſſeris, tonum, fibris laxioribus redditis, infirmabis, cruditates cruditatibus cumulabis, lentam ventriculo pituitam obduces, appetitum deſtrues, et nutritionem, non obſtante alimentorum numeroſo ſatis apparatu ingeſto, impeditam ſenties, atque e preſſionibus grauatiuis, anxietatibus, nauſeis, capitis doloribus, rem praepoſtere a te actam, certiſſimo experiere euentu. Placidam ſuſcepiſſe motionem, atque, ſi quid peccatum in diaeta fuerit, hac reparaſſe praeſtabit, aut, ſi quidem veterum prius vitia epulando imitaſſe lubuerit, nec plane, ad eorum laudabilia poſthac ſeſe compoſuiſſe, pigebit exempla, dum finito conuiuio eruditos miſcebant ſermones, aut fides, tibias, et ſymphonias adhibebant, quibus maiorum laudes carminibus decantabant *a*). Ita nempe

z) Complures noxae, ex abuſu potus Cofé metuendae, ex inſtituto expoſitae, habentur in Diſſertatione de hoc argumento anno 1733. Lipſiae a me edita.

a) ALEXANDER ab ALEXANDRO Lib. V. Cap. 21.

nempe in corpore deplendo potius, quam nouis, noxiisque accessionibus obruendo, ponendam esse curam, ipsa imperare videtur prudentia, medico etiam consilio non suffulta.

§. IX. Ne tamen, dum motionis auctor fui, causam eius omni ex parte egisse, atque eam, sine vllo discrimine suscipiendam, commendasse videar, in eiusdem excessu quoque dissuadendo, tantisper lubet esse occupato. Varii sunt, corpus nunc tranquillius, nunc violentius mouendi modi, inter quos saltationem, quae quidem inter haud vulgaria, nec infima referri solet oblectamenta, locum quemdam hic mereri, vel hac de causa arbitror, quod vix vlla sit solennioris conuiuii festiuitas, quae, nisi tripudiis, choreisque concelebrata fuerit, per ora populi contumeliosius ferri poterat. Iniquiorem hic agere censorem, haud constitutum est, cum non sim inscius, non semper, quae communibus comprobata sunt suffragiis, recte improbari, indeque nec suas saltationi denegandas esse laudes. Videtur quippe innatus nobis, hilarioris animi prodendi signa, instinctus, ex saliendi cupidine cognoscendus, in ipsis animalibus non penitus in dubium vocandus; vnde tenerioribus statim infantibus, corpus hac ratione, dulces inter nutricum cantus motandi, datum esse desiderium, intelligimus *b*). Haud opus idcirco erit, ad absonam eius recurrisse originem, aut veterum subscripsisse fabulis, qui sidera saltare, ex errantium stellarum, cum non errantibus coniunctione, euincere cupiebant, indeque exemplum imitationis mortalibus datum, superstitiose somniabant. Propiorem agnouisse causam, atque naturam sequi ducem, expedit, qua monente, corpus non segnitie corrumpendum, sed variis modis mouendum, docemur. Fieri autem non potuit, quin, crescentibus per tot secula ingeniis, simplicitatem omnem fastidientibus, inuentorum quoque creuerit perfectio, atque e simpliciore, corpus mouendi modo, postquam potissimum numeri sen-

Saltationi modus ponendus.

 sum

b) PLATO *de legibus*, Libr. II.

ſum acceperant mortales, aptae ſaltationes choreaeque, vtpote muſicae pediſſequae, felici editae fuerint partu, fautoribus ſuis tantum non deſtitutae, vt potius in ſummo pretio habitae, inque conuiuiis, ludis publicis, triumphis admiſſae, apud antiquitatum ſcriptores legantur. Neque etiam, ſapientia pariter ac grauitate conſpicuis viris, ſaltationem diſplicuiſſe, praeter alia, SOCRATIS patet exemplo, qui magnis nonſolum eam extulit laudibus, ſed et ipſam ediſcere, haud erubuit *c*), ſiquidem et inter Cretenſes, non priuati tantum, verum et nobiliores, regioque prognati ſanguine, ſaltationem excolebant *d*). Imo nec ipſis feminis, quibus non omnia priſcis licuiſſe temporibus, haud ignoramus, inhoneſtum putabatur, hac oblectari motione, qua de cauſa et SALLVSTIVS, *quid*, inquit, *pſallere*, *ſaltare elegantius*, *quam neceſſe eſt probae?* minimeque turpem eſſe ſaltationem, modo turpitudo in eadem fugiatur, ARISTIDIS conſtat teſtimonio *e*). Alia vt taceam, vel ex ipſo ſacro codice petenda exempla, aſſerto facile fidem datura. Vtilitatem nempe dulcedini, amoeno admodum vinculo iunctam, ſi quidem medicum quoque non diſplicuerit ſuffragium, haud difficulter hic detegi poſſe, cenſeo. Praeterquam enim, quod ſymphoniae et muſici concentus, animo exhilarando, atque inſigniter reficiendo, perquam deprehendantur idonei, corpori quoque, ne dulcedinum harum ſuauitate percepta, ſoli menti bene ſit, operam hic ſuam, in ſui inſimul commodum ſtrenue conferendi, exoptatiſſima patet opportunitas. Corpus erecto compoſitoque ſitu geſtare diſcunt, qui ſaltationis non plane ſunt ignari, ne gallorum aut ſtruthionum more, vacillantibus, minusque appoſitis incedentes greſſibus, occurrentibus riſui ſint; imo, ne quidquam diſſimulem, ad partium agilitatem comparandam, virium robur conſeruandum, variasque functiones reſtaurandas et promouendas, nec leue, nec inhoneſtum

c) XENOPHON *in Conuiu.* p. 877.

d) LVCIANVS *de ſaltatione* Libr. I. p. 199.

e) In Orat. *contra proditores myſteriorum*, Tom. III. p. 713.

nestum a saltatione expectandum esse praesidium, penes omnes, a Catonianae seueritatis iniquitate remotos, constat. At, alium prorsus in finem, tibias conducere, atque minus modice huic operam dare oblectationi, omnique excessui effrena indulgere cupidine, minus decorum, corporique summe damnosum esse, paucissimis vt demonstrem, tanto magis opus esse credo, quanto gloriosius nonnunquam putatur, in multam noctem, nouamque lucem, indesinenter saltasse, aliosque, breui aut defatigatos, aut oblectationis huius pertaesos, constantiore eius exercitio superasse; ita nempe

non habet victoria laudem.

In saltatione vero suscipienda, totum nonsolum mouetur corpus, sed omnibus eius quoque partibus, parum hic otiosis, agendum est. Pedes ad numerum scite componendi, manus vario modo flectendae, tollendae, demittendae, caput nunc erigendum, nunc quaqua versum vertendum, nunc tardiore, nunc velociore passu incedendum. Quae cuncta, vti firmiorem et robustiorem omnino corporis poscunt habitum, ita infirmioribus subiectis, quod supererat virium, repentina atque reiterata violentia surripiunt. Omnis enim parum moderatus motus, spirituum, ab opere suo auocatorum, negotium turbat, eosdemque, quo minus recto, copiosoque satis flumine, atque placido itinere ad partes deriuari queant, impedit. Sanguis praeterea, celerior et rarior redditus, in citatiorem adactus cursum, velociore per arterias fluens impetu, ad extremitates inuitus depellitur, vnde et seri numerosior copia, glandulis subcutaneis collata, sudoris largiorem excitat prouentum, ex quo, spirituum haud leue oritur dispendium, cuius causae, in languore cito satis oborto, neque confestim iterum cessante, sat manifestus cognoscitur effectus. Magno vero spirituum numero sanguini detracto, non poterit non ipsius agilitati insignis poni remora; vnde et ab imperio, flumini eius erepto, pituitae largiorem progenerationem pendere, multisque pro-

pemo-

pemodum molestiis, aditum hinc parari promtissimum, perquam facile iudicatu est. Neque opus erit multis, pro huius euentus certitudine confirmanda, pugnare argumentis. Ipsa, a motu nimio incalescentia, sudore diffluentia, tandemque vltra modum delassata per plures dies corpora, ad quoscunque labores segnia, vertigine correpta, calorem molestiorem, sitimque pertinaciorem sentientia, artuum doloribus vexata, satis superque testantur, nobiliorum humorum haud leuem factam fuisse iacturam, neque parui, gaudia haec, certissimi doloris principia, constitisse. Atque, si quidem vlterius in hisce iucunditatibus dispiciendis, occupatis esse volupe fuerit, nouos detegere liberrimum erit fontes, perniciocissimis admodum malis, a nimium iucundo hoc exercitio praeterea propullulantibus, abunde scaturientes. Ecquis nempe, nisi pro teste sit experientia, frigido calidoque potu, aqua vinoque, auidissime, dum largo corpus sudore madet, ingurgitatis, sanguini aestuanti refrigerium parari posse tutum, credat? an successum optatis responsurum, vel mediocri praeditus ingenio, augurabitur? an potius haud procul ab insania abesse credet, qui humoribus resolutis, et impetuosius concitatis, leuamen, contrariis vel maxime remediis, sinistro prorsus conciliare audent consilio? an potius, frigida assumta, protinus repentinam eorum condensationem, stagnationem, obstructionem, apoplecticos insultus, arthriticos dolores, imo inflammationem subsecuturam, indubitatis praesagiri poterit rationibus? Parum minore, morbos mortemque emunt pretio, qui ad alterum delapsi extremum, calidiore potu, sanguinis flumini, satis iamtum accelerato, ignem addunt vehementiorem, atque, vt

vita breuis dira febre perusta cadat,

assiduis allaborant moliminibus, aut sanguine extra vasorum terminos egredi coacto, haemorrhagiis grauioribus, vtrique sexui sat periculosis, fomitem subministrant. Licet enim, iudice SENECA *f*), *aliquando insanire, iucundum sit;* ita tamen

f) *De tranquillitate animi.*

tamen immoderatae libidinis indeſinenter exagitari ſtimulis, vt fama vna cum vita periclitetur, parum a furore diſtare videbitur.

§. X. Haud omnibus, corpus impetuoſius mouere placet, tum, quod commoditatis atque quietis amantiores ſint, tum, quod forte conſtitutioni ſuae parum inde conſultum fore putent, tum, quod non deficiant alia, tempus cum voluptate tranſigendi, media. Ne tamen plane in otio marceſcendum ſit, aut omne prorſus deſit negotium, luſum paraſſe praeſtat, non quidem cum aliquali motu coniunctum, ſed per cuius decurſum, totum per aliquot horas ſellis infixum detineatur corpus, ſi manus exceperis, tantiſper agitatas, parum mouendum. Siue enim talorum, ſiue chartarum luſoriarum, ſiue aleae, ſimilisue ludi vacetur oblectationibus, in totum neutiquam improbandis, haud ita tamen ſemper ſui memores eſſe mortales, intelligimus, quin, dum diuturniores in iſtis negotiis exercendis eſſe conſueuerunt, diemque absque luſu transactam, perditam dolent, exceſſus quoque huius damnorum, poſtmodum eventurorum, obliuiſcantur, haud equidem leuiſſimorum, omni potius, quod ab iſtis iucunditatibus expectauerant commodo, longe ſuperiorum. Vti vero ex comici ſententia, *Luſus intempeſtiuus improbandus.*

non omnis aetas ludo conuenit g);

ita et omne tempus ipſi commodum haud eſſe, ſponte apparet ſua. A prandio aut coena ſtatim, absque vlla praemiſſa placida motione, corpore cibis onuſto, ad luſorias protinus diſcubuiſſe menſas, tantum abeſt, vt prudentiorum, nedum medicorum comprobari poſſit ſuffragiis, vt potius, vel regularum diaeteticarum ignariſſimum haud lateat, quantopere digeſtioni promouendae, intempeſtiua a paſtu quies nociua ſit. Otio

g) PLAVTVS *in Bacchid.* Act. I. Sc. II. v. 21.

Otio quippe atque inertia, venalem haud eſſe ſanitatem, quin potius,

ne pituitoſis damnentur corpora morbis,

ab omni, tum potiſſimum abſtinendum eſſe deſidia, cum plenitudine laboranti ventri, leuamen quoddam parandum erat, vel ipſa imperare videtur ratio, cuius conſiliis obſequium renuiſſe, haud ſine detrimento licet. Summe videlicet neceſſaria, poſt alimenta aſſumta, in corporis emolumentum ſuſcipienda, atque absque vllo impedimento perficienda eſt functio, chyli nempe praeparatio, digeſtionis indiuidua comes, cui promtius abſoluendae, non ipſa ſolum viſcera chylopoea mutuam conferunt operam, ſed et acceſſoriis quibusdam officiis, a mortalibus ipſis praeſtandis, fieri poterat ſatis, a quorum aut crebriore exercitio, aut plenaria intermisſione, aut negligentiore adminiſtratione, omnis humorum, et ſecernendorum, et excernendorum, pendet integritas, ipſiusque poſtmodum ſanitatis conſtantioris vigor. Optima licet ingeſſeris alimenta, niſi eorum quoque rite proſpexeris digeſtioni, corpus deſtrues magis, quam nutries. Impeditur vero ipſa haec nobiliſſima digeſtionis functio, ſi quidem intempeſtiuae indulgeatur tranquillitati. Vti nempe non ſolum ad nutritionem abſoluendam, chyli praeparatione, ſed eiusdem quoque ad ſanguinem propulſione, indeque cum flumine purpureo commixtione, tandemque humorum variorum, ad partes conuenientes depoſitione opus eſt; ita vel ſponte ſequitur ſua, absque ſufficiente, vix ac ne vix quidem hoc praeſtari poſſe motu, non a ſolo vaſorum continentium, aliarumque forte partium internarum vigore ſemper expectando, ſed et a cauſis inſimul externis adiuuando. Quo non facto, omne, quod ſolida et fluida intercedere debebat aequilibrium, temere turbatum, moliminum praeternaturalium impetui depellendo minus idoneum, morboſo ſtatui ſuccumbere cogitur.

tur. Humorum nempe lentore inuitato, calor naturalis extinguitur, nutritiuae particulae, aut crudiores, aut pauciores, dispendio deperditarum resarciendo parum sufficiunt, peregrinae moleculae, intra fluida tenacius haerentes, segniusque euacuatae, dyscrasiam eorundem inducunt, atque,

cum capiant vitium, ni moueantur, aquae h),

ita et in corruptionem tandem perniciosiorem abeuntes humores, ob obstructiones varias, inde excitatas, aut dolorosis affectibus producendis, aut solidis tandem partibus deprauandis, aptissimi redduntur. Praeter omnia vero, quae vitam sedentariam, tam otiosam, quam negotiosam, frequentissime comitantur mala, dirissimum istud, atque difficulter admodum deuincendum, hypochondriacum, nominasse sufficiat, cuius accessum tanto certius cunctis, immoderata ludendi cupidine captis, praenunciari posse, nullus dubito, quanto minus paucos paucasque suis ita imperare desideriis, compertum est, quin quotidie per complures horas, vanitatis istius illecebris, nonsolum cum nummorum et temporis, verum etiam sanitatis insigni dispendio vacent. Ista vero, parua forsitan visa, leuiaque, noxarum sat atrocium primordia, contemtim habuisse, parum prudentis est. Vti enim *mala, vnde minime expectantur, erumpunt i)*, atque maximorum saepe morborum, parua admodum solent esse initia *k)*, ita minima quoque, in sanitate tuenda, neglecta circumspectione, nisi aut venienti occurreris morbo, aut venturi praepedias causas, easdem, postquam viribus sumtis,

per longas inualuere moras,

 haud

h) OVIDIVS de Ponto Libr. I. Eleg. VI. v. 6.

i) SENECA Epist. XCI.

k) Vid. MICHAEL. ETTMVLLERI Differt. *de paruis magnorum morborum initiis*, Lipf. 1676. habita.

haud ſemper ex voto depellere valebis, quin potius, operoſiſſimo licet adhibito labore,

Poeonias nequicquam admoueris artes.

Stratorum molliorum incommoda.

§. XI. Tandem vero, tantis tamque variis oblectationibus defatigato, licet nondum ſatiato corpori, quieſcendum eſt, vires ſomno reparandae, ſpiritusque craſtinis aut laboribus, aut iucunditatibus colligendi. Quantumuis vero ſomnum, ſponte ſaepius venturum, blandius allicere, non ſit opus, ita tamen in eo inuitando quoque, atque dulcius tranſigendo, variis laborari intelligimus modis, vt, quem deus gratis largitur, ſumtuoſus nonſolum fiat, verum etiam ipſi corpori inſimul moleſtus. Magnificentiam taceo ſtratorum, puluinos auro argentoque intertextos, ſtragularum puniceaurum apparatum, xyſtidum pretioſarum ſplendorem, vtpote a foro medico, curam legum ſumtuariarum atque veſtiariarum non gerente, haud diſquirendum. Neque de ſomno diuturniore aut meridiano fugiendo, ne actum alio tempore, hic denuo agam, monere quidquam cupio, cum penes omnes iamtum conſtet,

quod, qui dormiant libenter, ſine lucro, et cum malo quieſcant l).

Lectorum autem ipſorum tantum conditionem, ſanitati non omni ex parte proficuam commodamque, tribus verbis expoſituro, veniam quidem audaciae a delicatulis vix petendam eſſe arbitror, quandoquidem medico cubicula ingredi, haud denegatum eſt. Mollius vero atque ſuauius dormire putant, qui magna ſtragularum copia, intra lectos, conopeis vndequaque circumductis, ſedulo obſirmatos, quaſi ſepulti, Epimenideum fere dormiunt ſomnum, plumoſisque omni ex

parte

l) PLAVTVS in Rudente, Act. IV. Sc. II. v. 18.

parte circumſepti cadurcis, caput pectusque probe velati, vel leuiſſimum aëris acceſſum ſtudioſe fugiunt, atque hoc nihilo minus, quod corporis refectioni conceſſum erat beneficium, in ſuam perniciem, aut inſcii, aut meliora videntes probantesque, deteriora tamen appetentes, pertinacius trahunt. Alium vero in finem ſomno haud indulgendum eſſe nouimus, niſi vt virium deperditarum proſpiciatur reſtaurationi, membra delaſſati corporis ad priſtinum vigorem, ſpiritibus nouis ſomni tempore collectis, redeant, transpiratio, quae inſenſibilis vocatur, interdiu aut intercepta, aut accelerata, ad ſuos ſenſim redacta terminos, absque impedimento ſuccedat, atque nutritio tranquilliore perficiatur modo. Perquam facile tamen haec naturae negotia ſentient turbata, qui nimia mollitie ducti, tegminum copioſiorum mole corpora obruentes, aut, calore nimio excitato, humores, quibus blandiore itinere ſuus abſoluendus erat circulus, violentiore impetu ad partes adigunt, conturbant, rarefaciunt, aut eorum reſolutione conciliata, nimioque ſudore, poſt coenam praecipue lautiorem frequentius fluente, prouocato, quem et ſpirituum comitari ſolet diſſipatio, inſignem virium iacturam ſubire coguntur. Inde noctes inſomnes, ſenſuum perturbationes, ſomniorum inquietorum imagines, exaeſtuationes, anxietates, pleno agmine, opulentiorum citius circumſilire dormitoria, quam quidem pauperiorum ſtrata, vel hac de cauſa diuinare licebit, quod, cum hi compluribus, vitam beatius et commodius ducendi, deſtituantur praeſidiis, ipſisque ſaltem,

in quantum ſitis atque fames, et frigora poſcunt m),

cibus ſomnusque capiendus ſit, hac quoque tanto feliciores ſint inopia, quod aequali, laborum pariter ac quietis gaudentes viciſſitudine, alacriore ad negotia, e lectulo redeant animo

m) IVVENALIS Sat. XIV. 318.

corporeque, quam quidem iis euenire experimur, qui mollissimis iuxta ac pretiosissimis surgentes thoris, torpidi, segnes, capite dolentes, quantocius ad eosdem recurrendum esse, sentiunt.

Conclusio. §. XII. Quanto minus vero, me in oblectamentorum amoenitates, indeque sperandos non contemnendos vsus, durius quidquam dixisse, suspicor, dum promisso, sub scripti huius initium dato, haud cadendum esse, memini, tanto tamen certius, abusus expositi noxas, haud temere fictas, sed a quolibet vltro perspiciendas, imo forte abs haud paucis saepius iamtum perceptas, ingenuorum lectorum iudicumque nequaquam destitutas fore suffragiis, confido. Vti nempe, *nihil rerum omnium, per se omnino vel malum est, vel bonum, sed, vt quisque rebus atque occasionibus vtitur, ita quoque euentus consimiles inde consequi solent n)*; ita et in oblectamentorum vsu, culpam ad ipsas iucundiores recreationum vicissitudines, neutiquam volui deuoluendam, ipsos potius, qui iisdem sinistre vtuntur mortales, monendos esse, aequum iudicaui, vt quotidie

dapibus temerare nefandis
corpora, desistant,
tantisque opibus, quas optima matrum,
terra, creat o),

liberalius quidem, ita tamen frugaliter vti discant, ne, quam sanitati suae impendere, opus erat curam, voluptatum intempestiuarum deuincant cupidine, atque naturae satis esse, reputent, indigentiam replere, *cuius satietatem superfluis grauasse, aut iniucundum est, aut noxium p)*; cum contra, e frugali-

n) SOCRATES *in Archidamo*, p. 247.

o) OVIDIVS *Metamorph.* Libr. XV. 75. 91.

p) BOETHIVS *de consolat. philos.* Libr II.

ſrugalitate, atque temperantia, tanquam ſoecundiſſima ſemente, vitae nonſolum libertatem, ſed et conſtantioris ſanitatis, largiſſimam legere liceat meſſem, iis ſolummodo conceſſam, qui ita vel optimis vti conſueuerunt rebus, vt nec vſus vnquam poeniteat, nec iisdem vlterius fruendi, plena deſit libertas. Tutius nempe, vel me iudice erit, ita potius ſuae conſuluiſſe ſanitati, vt eandem arte reſtauraſſe, nunquam opus ſit, quam, aut inconſulto prorſus auſu, omnem in corpore infirmando, vigore eius corrumpendo, penitusque tandem deſtruendo, poſuiſſe laborem, atque damni iſtius, vix ſemper reparabilis, a medico expectaſſe medelam, aut, quod peius eſt, in oblectamentorum perpetuo, immoderatoque vſu, ſanitatis praeſidium, peruerſo conſilio, nunquam optatis reſponſuro, quaeſiuiſſe. Ita enim ſemper

intempeſtiuo tempore facta, nocent.

